FRANCISCI ROSSI

METROPOLITANAE ECCLES. NEAP. CANONICI

ET IN REGIO NEAPOLITANO ARCHIGYMNASIO

ANTECESSORIS

PRAELECTIONES

JURIS ECCLESIASTICI

EDITIO QUINTA

EMENDATIOR, ET LOCUPLETIOR

TOM. II.





NEAPOLI AN. MDCCCXXXIX.

EX TYPOGRAPHIA CUOMO.



Publica Auctoritate.

ECCLESIASTICARUM PRAELECTIONUM

LIBER II.

TITULUS I.

De Rerum Divisione.

Rerum Ecclesiasticarum aliae sunt *spirituales*, aliae *temporales*. Illae ad animarum salutem procurandam sunt comparatae; hae Ecclesiae, et Ministrorum usui inserviunt. Ex spiritualibus porro nonnullae res corporeae sunt, quae scilicet sensibus subjiciuntur; reliquae sunt incorporales, quae nimirum sensus effugiunt. Primi generis censentur Sacramenta, res sacrae, resque religiosae. Alterius generis sunt virtutes, quae animo intelliguntur. De spiritualibus corporeis rebus acturi sermonem a Sacramentis auspicabimur ex ordine ad reliquas processuri.

TITULUS II.

De Sacramentis.

Sacramentum est invisibilis gratiae visibile signum ad hominum sanctificationem a Deo institutum. Quodlibet autem Sacramentum ex re, et verbis coalescit, quae post sec. XIII. ex Peripateticorum placitis *materia*, et *forma* dici coeperunt. Sacramentorum porro administrandorum potestas

in Ecclesia condita est, quae per suos ministros illam exercet. Cum vero tota Sacramentorum vis a Christo promanet, ministri mores, et pietas ad eorum efficaciam nil prorsus conferunt. Ceterum licet ministri sint instrumenta ejus, cujus totum est opus; potestatem tamen, et voluntatem habere debent. Voluntatem habere dicuntur, si facere intendant, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia (1). Itaque ex tribus voluntatibus sive *intentionibus*, quae a scholasticis dicuntur, *habituali*, *virtuali*, et *actuali*, habitualis quidem inutilis censetur, actualis optima quidem, sed necessaria non est, virtualis satis esse videtur, ea scilicet, quae ita Sacramentum antecedit, ut ex illius vi actus Sacramenti sequatur.

Jam vero Sacramenta suapte vi gratiam conferunt. Damnata est enim Lutheri, et Calvini sententia, qui Sacramentorum efficaciam a suscipientium fide deducunt. Sacramentorum autem duo sunt effectus. Eorum alter omnibus est communis nempe gratia, qua justi efficimur; alter tribus tantum Sacramentis animae imprimitur, Baptismo scilicet, Confirmatione, atque Ordine, quae notam i. e. characterem animae insculpunt, quibus distinguamur. Cum vero semel impressus character numquam deleatur, tria isthaec Sacramenta iterare nefas est.

Sunt autem Ecclesiae Catholicae Sacramenta septem, Baptismus, qui aditum aperit advenientibus; Confirmatio, qua robur additur dimicaturis; Eucharistia, quae saluberrimum est animae ali-

---

(1) *Conc. Trid. Sess. VII. can. 11.*

mentum; Poenitentia, quae aberrantes reducit; Extrema Unctio, quae semianimes reficit; Ordo, quo sacrorum ministri instituuntur; et Matrimonium, quo numerus Fidelium augetur. Isthaec novae legis Sacramenta omnia quidem in universum Ecclesiae sunt necessaria; sed ratione singulorum quaedam voluntaria dicuntur, quaedam necessaria. Voluntaria sunt Ordo, et Matrimonium; necessaria vero Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, et Sacra Unctio. Ex iis Baptismus quidem omnibus, Poenitentia illis, qui gratiam regenerationis amiserunt, necessaria sunt necessitate *medii*, ut ajunt; reliqua necessitate *praecepti* necessaria censentur.

TITULUS III.

De Baptismo, et ejus Effectu.

Ex Baptismate, quod primum inter Sacramenta suscipitur, *incipit omnis fidei origo, et ad spem vitae aeternae salutaris ingressio*, ut ait Cyprianus. Dicitur autem a Graeca voce *βαπτίζειν*, quae *mergere, abluere* sonat. Per baptismi enim aquam originalis culpa diluitur, eoque ex fonte novus homo reviviscit, atque emergit ad gratiam.

Triplicem baptismum agnoscit Ecclesia, *fluminis* scilicet, *sanguinis*, et *flaminis*. Fluminis baptismus constat ex aqua, et verbo. Baptismus sanguinis dicitur, ubi quis pro Christo occumbit: maryrio enim totum baptismi Sacramentum compleri, ait Augustinus (1). Baptismus flaminis est,

(1) *Can.* Catechumenum 37. *Dist. IV. de Consecr.*

ubi quis moriens vehementi baptismi desiderio flagrat, quo lavari non potest (1).

Conficitur baptismus ablutione aquae, et verborum a Christo praescriptorum pronunciatione. Non enim aqua est Sacramentum, sed ipsae aquae usus, adjunctis verbis. Baptismi itaque materia est aqua naturalis, quae tamen commixtione, aut artificio in aliam naturam non migraverit. Quapropter nec lutum, nec jus, neque aqua stillatitia ex floribus ad baptismum adhiberi possunt; cum contra aqua pluvia, fluvialis, marina, et aqua venarum metallicarum, quam *mineralem* appellant, ab usu beptismi non excludantur.

Baptismi autem forma est, quam Christus praescripsit, ubi Apostolos in universum orbem mittens jussit, baptizare omnes Gentes *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Iis ex verbis isthaec formula exsculpta est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Si quis vero reticeat pronomen *ego*, tamen utiliter baptizat: illud enim tacite subest in verbo *baptizo.* Non absimili sane pacto si nomen Ministri supprimatur, verum baptisma confertur: veluti si quis more Graecorum ita formulam extulerit: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Quin imo si quis Latinae linguae ignarus non dolo, sed imperitia syllabas corrumpat, ut dicat, *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, Spiritu Sancta*, modo veram personarum notionem concipiat,

---

(1) *Cap.* Debitum 4. *de Baptism. Cap.* Apostolicam 2. *de Presbyt. non baptiz.*

eum baptizare, edixerunt Pontifices (1). Licet etiam quavis lingua formulam efferre, modo idem, quod Latine significetur. Ceterum formula cum ablutione conjungenda est: quamvis nihil referat, utrum ablutio fiat per unicam, an per trinam immersionem, per effusionem, an per adspersionem aquae in plures baptizandos; dummodo caput baptizandorum aqua pertingat. Quamobrem ubi non fuerit exclusus ab utero foetus, aut exitus expectandus, aut caput, si prodierit, abluendum.

Jam vero, urgente necessitate, minister baptismi est quilibet homo, sive clericus sit, sive laicus, sive mas, seu femina, sive haereticus, seu schismaticus, dummodo facere credat, quod facit Ecclesia, et materia, formaque a Christo praescripta utatur. Nam ut ait Pontifex, *sive ab adultero, vel a fure datum fuerit baptisma, ad percipientem munus pervenit illibatum: quia vox illa, quae sonuit per columbam, omnem maculam humanae pollutionis exclusit, qua declaratur, ac dicitur, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto, et igne.* (2). Tantum seipsum neminem baptizare posse, rescripsit Innocentius III. Quemadmodum enim in carnali, ita et in sacramentali generatione alius debet esse, qui spiritualiter generatur (3). Ceterum, semota necessitate, jure ordinario legitimus et primarius baptismi minister est Episcopus, et Presbyter, atque ex eorum consensu Diaconus. Gradus autem sunt constituti, quibus ad quemque ordinem baptizandi

(1) *Can.* Retulerunt 86. *Dist. IV. de Consecr.*
(2) *Can.* Secundum 8. *Dist. XIX.*
(3) *Cap.* Debitum 4. *de Baptism.*

facultas perveniat; scilicet ut, si desit dignior, ad minus dignum descendat. Illud autem certum est, in privatis domibus, nisi magna ex necessitate, aut ob summam personae dignitatem neminem baptizare posse, quod Clemens V. in Concilio Viennensi praescripsit (1).

Praeter ministrum operam suam in hujusmodi administratione Sacramenti praebent Patrini. Ii fidem infantium in se suspiciunt, seque sponsores, ac fidejussores pro ipsis offerunt. Itaque ipsorum est, erudire pueros Evangelica doctrina, eorumque mores instituere, ut in maturiori aetate constituti datam fidem persolvant (2). Quamobrem ab hoc munere excluduntur haeretici, pagani, Judaei, quique alienis curis abstinere debent Regulares. *Non licet Abbati, vel monacho, de baptismo suscipere filios, nec commatres habere*, edixerunt Antissiodorensis Concilii Patres (3).

Porro baptismi capaces sunt omnes volentes, aut certe non repugnantes. Hujusmodi sunt infantes, qui etsi ipsi adsentiri non possunt, per fidejussores tamen, sive patrinos profitentur, et in fide Ecclesiae baptizantur. Non absimili sane pacto aegri, muti et surdi, quorum vice alius profitetur, recte baptismum suscipiunt (4). Dormientes autem, et amentes adultos, si prius baptismi suscipiendi propositum habuerint, in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare, uti Arelatensi Archiepiscopo rescripsit Innocentius III. (5).

(1) *Clement. un. de Baptism.*
(2) *Can.* Vos autem 105. *Dist. IV. de Consecrat.*
(3) *Can.* Non licet 103. *ead.*
(4) *Can.* Parvuli 74. *ead.*
(5) *Cap.* Majores 3. *h. t.*

Per Baptismum deletur peccatum ab origine contractum in infantibus, et in adultis etiam alia peccata tolluntur, si ex animo eos peccasse poenituerit; licet ad virtutis exercitationem fomes, et concupiscentia supersit. Praeterea baptizatis remittuntur poenae omnes spirituales, et via in caelum aperitur. Postremo per baptismum character animae imprimitur, ut propterea iterari nequeat ne baptismus quidem ab haereticis collatus; modo forma non fuerit corrupta. Ceterum si de baptismi veritate dubitetur, conferendus est sub conditione: *si non es baptizatus, ego te baptizo* (1).

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

Post acceptam per baptismum fidem, Confirmatione robustiores ad praelium adversus diabolum depugnandum evadimus. Hoc sacramentum per manuum impositionem, et sacri chrismatis in fronte inunctionem, adjecta formula, confertur. Chrisma autem conficitur apud Latinos (*a*) ex oleo, et balsamo per consecrationem, quae ab Episcopo quotannis in Coena Domini peragitur (2) (*b*). Ist-

—

(1) *Cap.* Quoniam 19. *de Sent. Excomm. in VI.*

(a) *Graeci praeter oleum, et balsamum in conficiendo chrismate adhibent triginta quinque aromatum species, addita non exigua vini quantitate.*

(2) *Cap.* Pastoralis 1. *de Sacram. non iterand.*

(b) *Consecrabatur olim Chrisma in Occidente* omni tempore, *uti colligitur ex Concilio Toletano 1. can. 20.*,

haec commixtio balsami si omittatur, et quis oleo tantum consignetur, Sacramentum non iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuit praetermissum, rescribit Innocentius III. (1).

Apud Graecos presbyteri sunt ordinarii Confirmationis ministri. At in Latina Ecclesia presbyteri olim, absentibus, aut veniam dantibus Episcopis, consignabant. Luculentissime id demonstratur ex Concilio Toletano I. (2), Arausicano (3), et Epaunensi (4). Romanis autem presbyteris Confirmationis Sacramentum conferre omnino erat interdictum. Id fortasse in caussa fuit, quapropter, Ecclesiae Romanae moribus in alias Occidentales Ecclesias sensim illatis, seculo VI. Occidentales presbyteri baptizatos consignare desierint. Tridentini Patres veterem Ecclesiae traditionem secuti unum Episcopum ordinarium Confirmationis ministrum pronunciarunt (5).

Porro Confirmationis effectus duo sunt, gratia nimirum, et characteris impressio. Per gratiam armamur ad pugnam. Apposite Eusebius Emissenus, seu quisquis sub eo nomine latet: *baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum con-*

---

prout scilicet Ecclesiis eo erat opus. Post seculum VI. mos inolevit, ut tantum in Coena Domini Chrisma consecraretur. Hinc mentitur more suo Isidorus Mercator, ubi Fabianum Papam inducit scribentem, ut chrisma singulis annis in Coena Domini benedicatur. Can. Litteris 18. *Dist. III. de Consecr.*

(1) *Cap.* De quibus 2. *de Sacram. non iterand.*

(2) *Conc. Tolet. I. can. 20.*

(3) *Conc. Arausic. can. 2.*

(4) *Conc. Epaunens. can. 15.*

(5) *Conc. Trid. Sess. VII. de Confirm. can. 3.*

firmamur ad pugnam (1). Quare Christianos per Confirmationem *perfici* (2), *consummari* (3), *roborari* (4) passim veteres dixerunt. Confirmati autem non secus ac baptizati, atque sacro Ordine initiati, proprio charactere obsignantur. Inde fit, ut Christiani per confirmationem Christiani milites evadant, et consignatio perpetuo manens (5) iterari non possit (6).

Antiquitus statim post baptismum Confirmatio conferebatur. Id ea de causa invaluit, ut, quoad ejus fieri poterat, Confirmatio sacramento illuminationis conjungeretur. Mos iste apud Graecos adhuc obtinet. At in Ecclesia Latina mutata disciplina est, ex quo Episcopi a baptismo conferendo cessarunt. Cum enim presbyteris fuerit Confirmatione administranda interdictum, et Episcopi baptismum raro admodum conferrent, utrumque Sacramentum seorsim dari coepit.

Illud heic adverti debet, Confirmationi sponsores adesse oportere, qui consignandos Episcopo sistant. Olim quidem, ubi statim post baptismum Confirmatio conferebatur, iidem in Baptismo, ac Confirmatione susceptores adhibebantur. Sed post seculum fortasse VI., a Baptismo Confirmatione sejuncta, proprius Confirmationis sponsor adest, qui et Christianus sit, oportet, et confirmatum possit verbo, et exemplo ad spiritualem pugnam inflammare.

---

(1) Euseb. Emissen. *Homil. de Pentecost.*
(2) *Conc. Eliberit. can.* 77.
(3) Cyprian. *epist.* 73.
(4) Euseb. Emiss. *loc. cit.*
(5) Augustin. *contr. Parmenian. cap.* 13.
(6) *Conc. Toletan. VIII. can.* 7.

TITULUS V.

De Eucharistia.

Eucharistiae nomen Graece sonat *gratiarum actionem*. Ea quoniam in Missae sacrificio peragitur, propterea Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi, quod in Missa continetur, *Eucharistia* nuncupatur. Per hoc Sacramentum Christum praesentem habemus. Substantia enim panis, et vini convertitur in Corpus, et Sanguinem Christi per *transubstantiationem*, h. e. mirabilem conversionem, qua tota et integra substantia unius rei transfunditur in totam et integram substantiam alterius. Hujusmodi itaque Sacramentum signum simul est, et res significata. Signum est species panis, et vini; res significata est ipse Christus, qui totus et integer est sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, et sub singulis ejus partibus exsistit (1).

Eucharistiae materia duplex est, panis nempe, et vinum, quamvis ipsum Sacramentum sit unum. Panem autem triticeum esse, oportet. Nec refert, azymus sit, quo Ecclesia Latina utitur, an fermentatus, quo utitur Graeca Ecclesia. Ceterum panis ex farre, oryza, fabis, milio, castaneis, leguminibus, aliisque id genus non est vera hujus materia Sacramenti (2). Communi enim loquendi usu panis nomine triticeum intelligimus, et qui-

(1) *Conc. Trid. sess. XIII. can. 3. et 4.*
(2) *Can.* In Sacramento 5. *Dist. II. de Consecr.*

dem aqua elementari confectum non rosacea, aut melle, lacte, vel oleo compactum, per quae panis in aliam materiam transit.

Vinum verò debet esse ex uvis expressum. Hinc vinum omphacium, acetum, quod vini naturam acescendo deposuit, ab hoc Sacramento rejicitur (1). Vino autem aqua est admiscenda, quod Christum peregisse constanti traditione accepimus. Hinc a Patribus Trullanis damnati fuerunt Armenii, qui ut suam de una in Christo natura doctrinam firmarent, in solo vino sacra mysteria celebrabant (2). Non absimili sane pacto inter haereticos Ecclesia numeravit Eucratitas, qui propterea et *Hydroparastatae*, et *Aquarii* audierunt. Ii loco vini meram aquam in Eucharistia consecrabant (3).

Forma consecrationis Eucharistiae alia est in pane, alia in vino, utraque Christi ore prolata. Christus enim in consecrando pane his verbis in coena usus est: *Hoc est corpus meum.* Vinum vero hac formula consecravit: *Hic est calix sanguinis mei.* Hinc Eugenius in Decreto ad institutionem Armeniorum docet, Eucharistiae formam esse verba ipsa Jesu Christi, qui hoc Sacramentum confecit. Et ipsi Graeci in Concilio Florentino professi sunt, verbis Christi elementa in ejus corpus, et sanguinem transmutari. Idem porro inculcant veteres Ecclesiae Patres Tertullianus (4),

(1) *Can.* Cum omne 7. *Dist. II. de Consecrat.*
(2) *Conc. Trullan. can.* 32.
(3) Epiphan. *Haeres. XLIX.*
(4) Tertull. *lib. IV. adv. Marcion. cap.* 40.

Nazianzenus (1), Chrysostomus (2), Epiphanius (3), aliique.

Hujus Sacramenti minister est solus presbyter. Hinc Nicaeni Patres praeter regulam esse ajunt, *diaconos*, qui *offerendi sacrificii potestatem non habent*, *his*, *qui offerunt*, *corpus Christi porrigere* (4). Et Concilium Arelatense I. diaconos reprehendit, quos plerisque locis offerre cognoverat (5). Quamvis autem haec vera sint, illud certe in dubium revocari non potest, diaconos in veteri disciplina tamquam Episcoporum, et presbyterorum ministros Eucharistiam populo distribuisse, et detulisse ad absentes (6). Quod quidem institutum in Oriente mansisse videtur, cum in Occidentalibus Ecclesiis calicem populo diaconi praebere consuescerent (7). Eucharistia itaque ab unis presbyteris offerebatur. Tantum si necessitas urgeret, et juberent presbyteri, diaconis Eucharistiam populo offerre licuit. Ad rem Patres Concilii Carthaginiensis IV. *Diaconus*, *praesente presbytero*, *Eucharistiam corporis Christi*, *si necessitas cogat*, *jussus eroget* (8). Isthaec disciplina fortasse seculo XII. desiit. Ceterum in nova disciplina unis presbyteris Eucharistiam populo offerre licet. Id tamen Episcopi, et Parochi

—

(1) Nazianz. *Orat. II. de Paschat.*
(2) Chrysost. *Hom. de prodit. Jud.*
(3) Epiphan. *Anchor. n. 57.*
(4) *Conc. Nicaen. can. 18.*
(5) *Conc. Arelatens. I. can. 15.*
(6) Justin. M. *Apol. 21.*
(7) Cyprian. *de Lapsis.*
(8) *Conc. Carthag. IV. can. 38.*

proprio jure, reliqui presbyteri veluti ex dispensatione faciunt. Hinc Clemens V. in Concilio Viennensi Catholica communione Monachis interdixit, qui clericis, aut laicis sine *speciali parochorum licentia* Eucharistiam ministrarent (1). Sed legem vicere mores, et jus Parochorum ad viaticum, et Paschalem communionem redactum est.

Jam vero cum omnes mortali peccato involuti ab hoc Sacramento arceantur, etiam presbyter ab eo conficiendo abstinere debet, nisi necessitas urgeat, et copia confessarii desit, apud quem culpam emendet. Ea enim in specie ipsi celebrare licebit, dummodo, statim ac poterit, expleta Missa, peccata confiteatur (2). Quin nec licet, nisi jejunis, et semel in die Missam celebrare, praeterquam in Christi natali die, vel urgente necessitate (3): et jubetur Sacerdos hostiam ab se consecratam sumere, nisi velit ab Ecclesiae liminibus arceri, et per annum a Missarum celebratione suspendi (4).

Porro ad Eucharistiam admittuntur omnes, modo ad eam aetatem venerint, qua corpus Domini possint dijudicare (*a*): quod Episcoporum, et Pa-

(1) *Clement. I. de Privileg.*
(2) *Conc. Trid. Sess. XIII. cap.* 7.
(3) *Cap.* Consuluisti 3. *de Celebrat. Missar.* etc.
(4) *Can.* Peracta 10. *Can.* Relatum 11. *Dist. II. de Consecr.*

(a) ***Antiquitus ipsi infantes ab hoc Sacramento non arcebantur, iisque ante communionem lac sugere permittebatur, si eo opus haberent. Isthaec disciplina stetit in Occidente usque ad seculum XII. At in Ecclesia Orientali adhuc infantes ad Eucharistiam admittuntur.*** Arcud. *lib. III. de Sacram. Euchar. cap. 11.*

rochorum judicio aestimari solet. Quin et corporis periculosa infirmitate vexati Eucharistiam, quae *viatici* nomine (a) designatur, sumunt: nec ab ea arceantur occulti peccatores. At publicis peccatoribus, quique histriones agunt, scenicamque artem exercent, Eucharistiae communione interdixerunt veteres Patres (1).

Primis Ecclesiae seculis in pluribus Ecclesiis mos ille obtinebat, ut quotidie Eucharistiam sumerent Fideles. Isthaec consuetudo sub initium seculi V. adhuc Romae stabat: *Scio Romae*, ait Hieronymus, *hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo* (2). Idem moris eodem tempore in Hispania, et in Africa servabatur, uti testatur ipse Hieronymus (3), et Augustinus (4). At, avita caritate defervescente, eo res rediit, ut plerique fideles vel semel in anno, vel numquam Eu-

—

(a) *In veteri disciplina* ἐφόδιον Viaticum *designabat, quidquid morientibus iter in alterius vitam muniebat. Videsis* Albaspin. *Observat. lib. I. cap. 11. Viaticum autem datur morientibus, etiamsi peccatis illigati vixerint, nec nisi in infirmitate poenitentiam petierint. Conc. Carthag. IV. can. 79. Quod si morbi pertinacia deglutire non sinat, aut periculum vomitus instet, viaticum infirmis administrari non debet. Ceterum, quod olim nulla solemnitate deferebatur viaticum, post Berengarii deliramenta,* lumine praecedente, in habitu decenti, *ac* honorifice *deferri, jussit Honorius III. cap.* Sane 10. *de Celebrat. Missar.* e ꝗ.

(1) Cyprian. *epist. LXI. ad Euchrat. Conc. Arelat. I. can. 5.*

(2) Hieron. *Ep. ad. Pammach.*

(3) *Id. Epist. CXXVIII. ad Lucin. Baetic.*

(4) Augustin. *Epist. CXVIII. ad Januar.*

eharistiam sumerent (1). Quapropter seculo VI. Concilii Agathensis Patres edixerunt, *ut seculares, qui in Natali Domini, Pascha, et Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur.* At Concilium Lateranense IV. temporum iniquitatem, et collapsam disciplinam commiseratum statuit, ut fideles omnes ratione utentes saltem in Paschate Eucharistiae Sacramentum suscipiant, alias Ecclesiae communione interdicantur, et mortui Ecclesiastica careant sepultura (2): quod et Concilium Tridentinum confirmavit (3).

TITULUS VI.

De Missarum Celebratione.

Quae a Latinis *Missa* dicitur, a Graecis Λειτουργια *Liturgia* nuncupatur; quo sane nomine omnia sacra officia, precesque publicae designantur. Sed quemadmodum *Liturgia* Eucharistiae celebrationem plerumque apud veteres denotat; ita et *Missae* nomine posteriori aevo officium Eucharisticum indicatur. Sub Ecclesiae incunabula sacra liturgia simplicissima fuit, temporum ratione ita postulante (4). Pace Ecclesiae reddita, certa pompa, certoque caeremoniarum apparatu sacra mysteria celebrari coeperunt. Non idem tamen ritus ab omnibus Ecclesiis fuit receptus: etenim et in Orien-

---

(1) Chrysost. *Hom. XVII. in Ep. ad Hebr.*
(2) *Cap.* Omnis 12. *de Poenit. et Remiss. e* ※.
(3) *Conc. Trid. Sess. XII. can. 9. de Euchar.*
(4) Justin. M. *Apol. II.*

te, et in Occidente pro Ecclesiarum diversitate diversa fuit liturgiae ratio. Et licet lapsu temporis Occidentales Ecclesiae pleraeque omnes Romanam adsciverint liturgiam, remanet adhuc in Ecclesia Mediolanensi ritus Ambrosianus, et ritus Mozarabicus (*a*) in aliquibus Ecclesiis Hispanis.

Jam vero Missa alia erat Catechumenorum, alia Fidelium. Vetus Arcani disciplina postulabat, ut sacra mysteria paganos, Judaeos, haereticos, excommunicatos, ipsosque poenitentes laterent. Quapropter ii ad eam sacrae liturgiae partem, quae psalmodiam, Scripturarum lectionem, et peculiares pro Catechumenis preces continebat, admittebantur; a reliqua liturgia, cui tantum communicantes intererant, excludebantur. *Missa* itaque *Catechumenorum* communes communicatium preces ad altare antecedebat, ita dicta, quod olim major catechumenorum, quam poenitentium, aliorumque numerus. *Missa Fidelium* ab Oblatione incipiebat, eique communicantes tantum adesse poterant. Ea de causa post Missam Catechumenorum omnes dimittebantur, clausasque januas diaconi, et subdiaconi custodiebant; quo profanum vulgus arceretur. Sed posteriori aevo, deficientibus Catechumenis, eorum Missa cessavit, ac nemo Fidelium Missae interesse prohibetur.

In *publicam* quoque, et *privatam* Missa dividi solet. *Publica*, quae et *legitima*, et *conventualis*, et *capitularis*, et *major* appellari

—

(a) *Occupata ab Arabibus Hispania, Christiani iis permixti* Mixtarabes, *et corrupto vocabulo* Mozarabes *dicti sunt, eorumque liturgia* Mozarabica *appellata.*

solet, ea est; ad quam populus cum suo Pastore convenit, et communicat; propterea a veteribus *Collecta*, et *Synaxis* nuncupata. At *privata* Missa illa dicitur, quae sine caeremoniarum apparatu a solo sacerdote, uno dumtaxat ministrante, celebratur, seu pauci, seu nemo intersit, sive unus sacerdos, sive etiam alii Eucharistiam sumant (*a*). Privatae Missae semper in Ecclesia receptae, quae profecto *publicae* etiam ea de causa vocari possunt, et quia in ipsis populus spiritaliter participat, et quia pro omnibus fidelibus celebrantur (1). Huc etiam referri potest Missa, quae vulgo *Sicca* et *Nautica* vocatur, quae sacrae liturgiae seriem servat praeter oblationem, canonem, consecrationem, et sumtionem. Ea aliud non est, nisi verae Missae simulacrum; et in mari celebrari consuevit ob effusionis periculum. Seculo XIII. et deinceps in usu fuit frequentissimo: at hodie ubique passim in desuetudinem abiit.

Porro mos ille olim in Ecclesia servabatur, ut Fideles oblationis tempore res sacrificio peragendo aptas, praecipue panem, et vinum ad altare de-

—

(a) *A privata Missa differt* solitaria, *quam, nemine ministrante, et nemine praesente, unus celebrat Sacerdos. Hujusmodi Missae auctores Monachi in suis solitariis cellis, ex quibus reliqui presbyteri eam accepere. Pleraque concilia solitariis Missis bellum indixerunt. At non defuere, qui eas mordicus retinerent, inter quos Petrus Damianus in libello, quem* Dominus vobiscum *inscripsit. Ceterum utcumque ea de re sit, jamdiu in Ecclesia in more est positum, ut unus Sacerdos, uno tantum praesente, et ministrante, Missam celebrare possit.*

(1) *Conc. Trid. Sess. XVII. de Sacrif. Miss. cap. 9.*

ferrent. Hujusmodi oblationes sacrificii veluti pars censebantur, offerentium nominibus per Diaconos publice recitatis. Ex hisce oblationibus elementa ad Eucharistiam desumebantur; reliqua clericis alendis, sublevandisque pauperibus inserviebant. Ubi apud Latinos panis azymus, qui a clericis parabatur, ad Eucharistiam conficiendam adhiberi coepit, loco panis ac vini farina ad altare delata est. Cum porro, deficiente Fidelium caritate, Eucharisticus panis raro sumeretur, ut modicum farinae in id opus sufficeret, ipsius farinae loco seculo XII. denarii offerri coeptarunt. Ii principio aut pauperibus erogabantur, aut sacrificii usui inserviebant. Lapsu temporis Clerici, quibus ex Ecclesiae aerario satis alimentorum erat, sibi eos vindicarunt. Id in causa fuit, quapropter Fideles ab hujusmodi denariorum oblationibus cessarint.

Ubi panis, ac vini oblationes e medio sublatae, Missarum honoraria recepta. Eorum nomine certa pecuniae quantitas designatur Sacerdoti oblata, quo specialem in sacrificio offerentis recolat memoriam. Honoraria porro in sui usum clerici verterunt: eaque disciplina seculo XI. passim obtinebat. Ceterum licet pro unis offerentibus Missae speciatim celebrentur, quod tamen offertur sacrificium, omnibus prodest, totamque Ecclesiam complectitur (1). Tot autem Missas sacerdotes celebrare debent, quot honoraria acceperunt, licet ea sint legitimo stipendio minora; secus enim datam offerentibus fidem fallerent. Quare qui Missam celebrare cogitur ratione beneficii, aut Cap-

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXI. cap. 7.*

pellaniae, non potest pro eadem Missa novam eleemosynam accipere. Jure itaque Alexander III. eorum sententiam damnavit, qui contendebant, nec contra justitiam, nec contra promissam fidem moliri eos, *qui pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre auderent.*

Antiquitus sacra mysteria quotidie non peragebantur. Seculo 11. vix Dominica die sacra fiebant, et in Martyrum natali die, diebusque jejuniorum. Augustini aevo licet sacram synaxim agere possent Fideles; tamen alibi omnibus diebus, *alibi Sabbato tantum, et Dominica die, alibi tantum Dominica* offerebatur (1). Sensim ex recepto in Ecclesia Romana more invaluit, ut singulis diebus sacra fierent. Ceterum quibus diebus Missa conventualis non agebatur, privatas Missas celebrare licebat, nonnullis diebus exceptis tam apud Graecos, quam apud Latinos. Graeci sane sacris mysteriis agendis abstinent per totam Quadragesimam, exceptis Sabbato, Dominica, et festo Annunciationis. Latini vero Missam non celebrant Feria sexta in Parasceve, et Sabbato majoris hebdomadae. Quibus autem diebus Graeci a sacrificio cessant, *praesanctificatorum* missam celebrant: quod et Latini feria sexta majoris hebdomadae faciunt.

Liturgicis diebus per tria priora, et amplius secula unam Missam in singulis Ecclesiis celebrari moris fuit. At sensim invaluit, ut ab uno eodemque Sacerdote certis ex caussis, certisque diebus plures Missae agerentur (2). Ubi vero plures Mis-

---

(1) Augustin. *epist. CXII.*
(2) Bona *lib. I. Reg. Liturg. cap. XVIII.*

sae celebrabantur, Sacerdotes Eucharistiam in omnibus sumere, jusserunt Toletani Patres, per annum communionis gratia interdictis, qui Ecclesiasticae regulae obniterentur (1). Sed tandem seculo fortasse XII. unam quolibet die Missam a singulis Sacerdotibus celebrari, voluere Pontifices, excepto die Nativitatis Dominicae, et ubi necessitas aliud suadeat (2).

Illud postremo praeteriri non debet, Missas celebrari oportere in Ecclesiis consecratis, aut certe jussu Episcopi benedictis. Quod si necessitas sacra mysteria in Ecclesia celebrare non sinat, sub dio, in tentoriis, in navi ea peragi possunt; modo tabula altaris consecrata, ceteraque ad id opus necessaria non desint, uti Moguntini Patres praescripserunt (3). Quamvis autem haec vera sint, Tridentini Patres edicto vetuerunt, ne Episcopi in privatis domibus sacrificium peragi patiantur (4).

TITULUS VII.

De Poenitentiis, et Remissionibus.

Lapsi post baptismum Poenitentia resurgunt. Est autem Poenitentia novae legis sacramentum, quo relapsis corde dolentibus, confessis, et poenas peccatis debitas luentibus, per Sacerdotis absolutionem peccata remittuntur. Hujus Sacramenti quasi

(1) *Conc. Tolet. XII. can. 5.*
(2) *Cap.* Consuluisti 3. *de Celebrat. Missar.*
(3) *Can.* Concedimus 30. *Dist. I. de Consecrat.*
(4) *Conc. Trid. sess. XXII. de observ. in celebr. Miss.*

materia, partesque sunt Contritio, Confessio, Satisfactio, etsi etiam peccata materia remota dicantur. Forma vero verbis illis continetur: *Ego te absolvo*; quae perspicua esse debent, atque ore pronunciata; ut absens quis, et per epistolam absolvi nequeat.

Jam vero Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Ea talis esse debet, quae gravissimum quemcumque dolorem superet caducarum rerum causa conceptum. Nec refert, quod is dolor minus afficiat sensum, quam dolor rerum creatarum causa conceptus, modo prae ceteris doloribus corripiat voluntatem: adeo ut quamvis alicujus sensus acrius morte filii percellatur, quam intuitu peccati; si tamen ei detur optio, filii mortem, quam peccatum malit. Haec autem contritio perfecta dicitur, quae si votum confessionis, et satisfactionis includat, peccatorum remissionem producit, etsi facultas confitendi, et satisfaciendi intercipiatur. Ceterum si contritio ad eum gradum non perveniat, qui ad impetrandam veniam sufficiat, *peccatorem tamen ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponit*. Isthaec imperfecta contritio, et dolor vel ex peccati turpitudine, vel ab aeternarum poenarum metu conceptus *Attritio* appellatur; *quam esse donum Dei, et impulsum Spiritus Sancti non adhuc inhabitantis, sed tantum moventis*, Tridentini Patres pronunciarunt (1).

Confessio autem, quae ex divina institutione de-

(1) *Conc. Trid. sess. XIV. cap. 4. de Sacram. Poenit.*

scendit, est peccatorum apud Sacerdotem expositio ad remissionem impetrandam per Ecclesiae potestatem. Nihil autem refert, utrum secreto uni Sacerdoti peccata aperiantur, an palam coram Fidelibus proferantur. Illud tamen addubitari nequit, solemne olim fuisse, ut ipsa occulta peccata, ubi nihil periculi peccatori foret, ex Sacerdotis sententia palam exponerentur (*a*). Ceterum Confessio debet esse flebilis et luctuosa, candida, sine fuco et mendacio, integra, ut quidquid e memoria non defluxerit, expromatur, prolatis non modo criminibus, sed et modis, sive quas vocant *circumstantias*, ubi mutant speciem (1). Confessio porro Sacerdoti concredita, est ab eo alto silentio premenda, ut scientia peccatorum in confessione accepta uti nequeant Praelati ad reos nominatim arguendos (2). Si quis vero alicujus peccatum revelaverit, ab ordine dejectum in perpetuum arctumque carcerem detrudi, jusserunt Pontifices (3).

Porro hujus Sacramenti Minister est Sacerdos, qui cum ordine simul habeat jurisdictionem. Cum enim poenitentia sit actus judicialis, sine jurisdictione exerceri non potest. Universam jurisdictio-

---

(a) *Stetit isthaec publicae confessionis disciplina usque ad Nectarium in Oriente, qui ob scelus a diacono cum matrona poenitenti in Ecclesia admissum et publicam confessionem, et publicam poenitentiam proscripsit.* Socrat. *lib. V. cap. 16. In Occidente vero seculo VIII. publica poenitentia ab usu recessit.*

(1) *Conc. Trid. d. Sess. XIV. can. 7.*

(2) *Cap.* Si Sacerdos 2. *de offic. Jud. Ordinar.* e꙳.

(3) *Cap.* Omnis 12. *de Poenitent. et Remiss.* e꙳.

nem quilibet Sacerdos habet in quemcumque hominem in mortis articulo constitutum, quem ab omni culpa, et excommunicatione absolvere non prohibetur (1). Extra mortis articulum nemini absolvere fas est, nisi proprium subditum; et subditus, nisi a proprio sacerdote, absolvi non potest. Proprius autem omnium sacerdos est Summus Pontifex; Episcopus, ejusque Poenitentiarius est proprius sacerdos totius suae Dioecesis; et Parochus totius suae Paroeciae. Atque hi ordinariam, i. e. ex suo munere jurisdictionem habere dicuntur: ceteri omnes mandatam jurisdictionem habent; quales sunt alii presbyteri, ipsique Regulares, queis ab excipiendis confessionibus per Tridentinos Patres interdictum, nisi Parochi sint, aut ab Episcopo ad id munus delecti (2).

Non omnes, qui ordinariam, aut delegatam habent jurisdictionem, possunt de culpis omnibus absolvere. Sunt enim peccata quaedam, quae sibi excepit, ac reservavit absolvenda vel Rom. Pontifex, vel Episcopus, quibus remittendis generalis jurisdictionis concessio non sufficit. Sane hujusmodi Pontificiae reservationes, quae post seculum X. increbuerunt, vel Decretalium libris, vel Bullis continentur. A peccatis Romanae Sedi reservatis si quis olim absolvi vellet, ipsi Pontifici se sistere oportebat. Tantum mulieribus, senioribus, quique Romano itineri peragendo impares erant, fuit indultum, ut ab Episcopo absolverentur (3). Sed,

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 7. de Poenit.*
(2) *Trid. Sess. XXIII. de Refor. cap. 15.*
(3) *Cap. 6. et cap. 13. de Sent. Excommunic.*

multiplicatis reservationibus, ipsi Pontifices publica peccata sibi reservata Episcopis absolvenda demandare consueverunt. Et Patres Tridentini Episcopis potestatem fecerunt absolvendi quaelibet peccata occulta etiam Sedi Apostolicae reservata (1). Peccata vero Episcopis reservata nemo dimittere potest, nisi aut ipsimet Episcopi, aut qui ab ipsis speciale mandatum habent.

Quod vero ad Satisfactionem pertinet, ejus nomine designatur compensatio, aut redditio rei, vel juris ablati. Scilicet per peccatum Deum laesimus, quia res caducas ei praetulimus. Hinc in satisfactionem injuriae rependere Deo debemus moerorem nostrum ex laboriosis affectibus concipiendum, quo culpas a nobis admissas simul ulciscamur, et Deum erga nos placatum reddamus. Licet autem homo nullis operibus Infinitati Divinae satisfacere queat; tamen Deus, *cujus bonitatis infinitus est thesaurus*, gratam, acceptamque satisfactionem habet, quae praestari potest, etsi longe major debeatur. Satisfactionem vetus Ecclesia exigere solebat antequam remissionem poenitentibus largiretur, qui per plures gradus ad absolutionem perducebantur, si peccantes publice puniri oportebat.

Quatuor porro erant poenitentium ordines. Primus *Flentium* ad Ecclesiae fores, seque introëuntibus commendantium, ut sibi veniam impetrarent. Alter *Audientium*, qui admittebantur in Ecclesiam ad concionem audiendam, eaque absoluta, statim ejiciebantur. Tertius *Substratorum*, qui post ejectos Audientes in genua provoluti ma-

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 6.*

nuum impositionem sub certis precibus ab Episcopo accipiebant, et ab Ecclesia dimittebantur. Substrati duris et laboriosis operibus se exercebant, propterea *poenitentes* per antonomasiam a Concilio Laodiceno appellati (1). Quartus denique gradus *Consistentium* erat, qui Sacrificii precibus sine oblatione cum populo intererant (2), at communione corporis Christi arcebantur. Sed hodie, mutata temporum ratione, remissius agitur, et rei ante peractam poenitentiam, dummodo eam candide promiserint, absolvuntur.

Omnis autem satisfactio in his tribus potissimum generibus versatur, nempe oratione, eleemosyna, jejunio (3). Ad Orationem revocantur non solum preces ore prolatae, sed etiam tacite recogitatae, et quodlibet sacrum aut docendi, aut praedicandi, aut juste sancteque judicandi studium. Ad Eleemosynas trahuntur cuncta opera benefica, quae a misericordia procedunt. Ad Jejunium vero redigitur et cilicium, et peregrinatio, et fames, et flagella, et quaevis corporis vexatio. Jejunia porro vel sponte suscipiuntur, vel indicuntur ab Ecclesia; qualia sunt, quae per vigilias, per quatuor tempora, per Quadragesimam aguntur.

Jam ad alteram rubricae partem adgrediamur, quae de ***Remissionibus***, i. e. *Indulgentiis* inscribitur, quas Graeci Patres φιλανθρωπιας *humanitatis* nomine designare solent (4). Indulgentiae

---

(1) *Conc. Laodic. can. 19.*
(2) *Conc. Nicaen. can. 11. Conc. Ancyr. can. 4.*
(3) Leo M. *Serm. I. de Jejun. decim mensis.*
(4) *Conc. Nicaen. can. 12. Conc. Ancyr. can. 5. Conc. Chalcedon. can. 16.*

autem sunt remissio poenarum temporalium, quas poenitentes subire debent, Ecclesiae auctoritate concessa. Potestatem indulgentias concedendi ab ipso Christo accepisse Ecclesiam veteres passim docent, quod Tridentini Patres auctoritate sua confirmarunt (1). Episcopis autem jus ordinarium datum a Christo est indulgentias largiendi, quibus scilicet ligandi, et solvendi potestas facta est. Ex speciali vero delegatione Presbyteri, atque inferiores Clerici possunt indulgentias concedere (2). Largiuntur autem indulgentias Episcopi in suis Dioecesibus (3). Et quidem ultra unius anni spatium in Ecclesiae Dedicatione indulgentia extendi non debet, quemadmodum in aliis Festis quadraginta dies de poenitentiis indulta remissio excedere prohibetur, uti in Concilio Lateranensi statuit Innocentius III. (4).

Indulgentias Episcopi largiantur oportet certis ex caussis, et secundum Ecclesiasticas regulas. Sane potissima indulgentiarum causa est cordis contritio. Quapropter Nicaeni, et Ancyrani Patres Episcopis potestatem faciunt vel indulgentiam impartiendi, vel poenitentiae tempora producendi (5). Praeterea veteres poenitentes remissionem poenarum adsequebantur per preces Martyrum, et Confessorum, qui toleratorum ab se dolorum meritis veniam poenitentibus impetrabant; quae poenae ubi

(1) *Trid. Sess. XXV. in decret. de Indulgent.*
(2) *Conc. Lateran. IV. can. 60.*
(3) *Cap.* Nostro 15. *h. t. eg.*
(4) *Cap.* Cum ex eo 14. *eod.*
(5) *Conc. Nicaen. can. 12. Conc. Ancyr. can. 5.*

prorsus remittebantur, *remissio*, et *indulgentia plenaria* dicebatur.

Post seculum X. ex certis aliis causis indulgentiae fuerunt concessae. Hujusmodi fuere visitationes Ecclesiarum, et Altarium, quas *stationarias indulgentias* appellant. Inter eas eminet *Jubilaeum*, quod quolibet anno XXV. agitur, quo recurrente, qui Romam ad Apostolorum Basilicam accedunt, plenaria peccatorum suorum indulgentia donantur. Indulgentiae quoque iis concedi coeptarunt, qui adversus haereticos depugnarent, vel in Hierosolymitanam expeditionem iter adriperent. Earum auctor Urbanus II. in Concilio Claromontano. Postremo iis, qui in Ecclesiarum reaedificationem, aut nosocomiorum reparationem pecuniam contulissent, aut omnes poenas, aut earum partem remitti placuit.

Jam vero hujusmodi indulgentiis semel receptis, *Quaestores* Eleemosynarii fuerunt instituti, qui scilicet indulgentias praedicatione foverent, et poenitentium oblationes, atque eleemosynas colligerent. Sed quaestores sibi potius, quam animarum saluti consulentes, lata lege coërcuit Clemens V. in Concilio Viennensi, eisque praedicatione indulgentiarum interdixit, nisi Apostolicas, vel Dioecesani Episcopi litteras exhiberent, potestate tantum ipsis facta praedicandi, quatenus litteris contineretur (1). Cum porro Quaestorum avaritia magis in dies excrevisset, ut de eorum emendatione spes nulla foret, Tridentini Patres, eorum nomine, atque officio penitus sublato, indulgentias in

(1) *Clement.* Abusionibus 2. *h. t.*

posterum per Ordinarios, adhibitis duobus de Capitulo, publicari, oblationesque, nulla accepta mercede, colligi jusserunt (1). Ceterum ubi Pontifices in Indulgentiis concedendis liberaliores evaserunt, ipsique Episcopi circa suas partiales indulgentias modum excessere, iidem Tridentini Patres moderationem in dandis indulgentiis *secundum veterem, et probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupiunt, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur* (2).

TITULUS VIII.

De Extrema Unctione.

Extrema Unctio (*a*) est novae legis Sacramentum (3), quo per olei unctionem, et adhaerentem orationem gravi morbo laborantibus gratia confertur, peccata, eorumque reliquiae absterguntur, et corporis sanitas, ubi expedierit, restituitur. Hujusce Sacramenti elementum est oleum, non illud balsamo commixtum, quod *Chrisma* appellatur, sed oleum purum ab Episcopo etiam in die Dominicae Coenae consecratum, quod et *oleum*

---

(1) *Trid. Sess. XXI. de Ref. cap. 9.*
(2) *Trid. Sess. XXV. in Decr. de Indulg.*
(a) *Antiquitus hoc Sacramentum a Latinis* oleum sanctum, oleum benedictionis, sacrati olei inunctio, et unctio infirmorum *fuit nuncupatum. Sub finem seculi XII.* Extremae unctionis *nomine designari coepit. Mabillon. praef. ad sec. I. Benedictin. n. 98.*
(3) *Trid. Sess. XIV. de Sacram. Extr. Unction. cap. 1.*

dicitur *Catechumenorum* (1). Forma autem non directis, sed precativis verbis concepta est: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid oculorum, sive narium, sive tactus vitio deliquisti* (2). Liniuntur porro oleo sensus, per quos vitia contraximus, oculi nempe, aures, nares, os, et renes: foeminis vero ob sexus pudorem renes non unguntur.

Extremae Unctionis Ministri sunt aut Episcopi, aut Sacerdotes, qui jurisdictionem habent, veluti Parochi, nisi urgeat necessitas, ubi quilibet Sacerdos etiam regularis recte Sacramentum administrat (3). Unis autem aegrotis hoc Sacramentum praebetur. Hinc capite damnati, nisi ex morbo brevi morituri, infantes, pueri, amentes, qui, antequam in furorem inciderent, illius desiderium non ostenderint, cum aegrotarent, et qui Eucharistiam nondum sumserint, Extremam Unctionem frustra postulant. Ceterum ad extremum non expectandum; tempusque suscipiendo Sacramento idoneum putaverim, ubi grave aliquod periculum impendeat. Id veteris Ecclesiae moribus apprime consonat, quae ante Eucharistiam Sacramentum Unctionis conferre solebat, quod poenitentiae veluti perfectio, et complementum censebatur.

(1) *Cap. un. de Sacr. Unct. c. ¾.*
(2) *Conc. Trid. Sess. XIV. de Sacr. Extr. Unct. cap. 3.*
(3) *Clementin. I. de Privileg.*

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

Superiore libro plura de Ordinibus adspersimus. Itaque ne actum agere videamur, eo lectorem remittimus.

TITULUS X.

De Sacramento Matrimonii.

Matrimonium est viri, et mulieris maritalis conjunctio secundum praecepta Ecclesiae inita, individuam vitae consuetudinem continens, ad procreandam, educandamque sobolem comparata, per quam Christi cum Ecclesia copulatio significatur. Quoniam vero Matrimonium a sponsione inchoatur, consensu constituitur, et copula consummatur, ideo a sponsalibus sermonem auspicabimur.

Sponsalia sunt *futurarum nuptiarum mentio, ac repromissio* (1). Ea vel proprie, vel minus proprie dicuntur. Proprie sponsalia dicuntur illa, quibus futuri matrimonii promissio continetur, quaeque sponsalia *de futuro* appellantur (2). Minus proprie dicuntur, quae matrimonium inducunt praesens utriusque consensu jam absolutum, quod matrimonium *ratum* vocatur, sive sponsalia

(1) *L. 1. ff. de Sponsalib.*
(2) *Cap.* Is qui 30. *de Sponsal. et Matrim.* e ..

de praesenti. Nos *proprie* in praesenti argumento loquemur.

Ad sponsalia contrahenda requiritur futurorum conjugum consensus. Quare nisi aetatem habeant rationis capacem, et idoneam ad id, quod agunt intelligendum, sponsalia non contrahunt. Eam autem aetatem definivere Pontifices septennium absolutum (1). Consensus porro dummodo sit certus, nihil refert, expressus sit, an tacitus. Illud quoque nihil interest, nutu ne quis adsentiatur, an silentio, puta parentibus pro filio respondentibus; per se quis contrahat, an per procuratorem; per mandatum, an per ratihabitionem.

Porro sponsalia et pure contrahi possunt, et sub conditione, et in diem. Pure ineuntur sponsalia, ubi nulla conditio exprimatur: si enim conditio aliqua tacita sponsalibus insit, ea non suspendit (2). Sponsalia conditionalia sunt, quae in aliquem incertum eventum conferuntur, ut, nisi conditio exstiterit, irritentur; modo non accesserit consensus *de praesenti*, aut carnalis copula, aut conditio sit turpis, vel impossibilis; rejectis enim hisce conditionibus, manebunt sponsalia. Ceterum sponsalia infirmantur, si naturae matrimonii conditio adversetur, veluti si quis dixerit: *contraho tecum, si prolis generationem devites;* aut, *si te pro quaestu adulterandam tradas* (3). In diem sponsalia contrahuntur, ubi quis spondet, se aliquam intra certum tempus accepturum (4).

---

(1) *Cap.* Ad dissolvendum 12. *de Desponsat. Impuber.*

(2) *Cap. un. de Despons. Impuber. in VI. cap.* Qui tacet. 45. *de R. J. in VI.*

(3) *Cap.* Si conditiones *ult. de condit. appos.* ex.

(4) *Cap.* Sicut 22. *de Sponsal. et matrim.* ex.

Contracta sponsalia obligationem contrahendi matrimonii pariunt. Quare si alteruter a voluntate recesserit, auctoritate Judicis, et metu poenarum potest ad officium reduci. Quod si periculum aliquod ex hujusmodi conjunctionibus invitis, et luctuosis timeatur, coërcitionibus abstineri, voluere Pontifices (1); cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere (*a*). Sponsalia isthaec de futuro per subsequentem copulam sine alia sollemnitate in verum matrimonium transibant olim. At sublatis a Concilio Tridentino clandestinis nuptiis (2), sponsalia de futuro per solam copulam non justae nuptiae, sed clandestina matrimonia evadunt.

Variis porro ex causis sponsalia de futuro dissolvuntur. Primo quidem praeter mortem naturalem, solvuntur communi utriusque partis dissensu, licet sponsalia sint jurata: quisque enim potest remittere jusjurandum sui gratia juratum (3). Impuberes vero, ubi ad pubertatem venerint, dissentire possunt, dummodo conjunctione corporum abstinuerint, ut ait Alexander III. (4). Si vero, sponsalibus inter puberem, et impuberem contractis, qui impubes erat, ubi ad pubertatem pervenit, ab iis velit discedere, etiam altero dissentiente, sponsalia dissolventur (5). II. Dissol-

(1) *Cap.* Requisivit 17. *eod.*
(a) *Quae antinomia inter Cap.* Ex litteris 10. *et cap.* Requisivit 17. *apparet, facile conciliatur per interpretationem, quam attulimus.*
(2) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Sacram. Matrim. cap. 1.*
(3) *Cap.* Praeterea 2. *de Sponsal. et matrim. e* ꝗ.
(4) *Cap.* A nobis 8. *eod.*
(5) *Cap.* De illis 7. *De Desponsat. Impuber.*

vuntur sponsalia tam de futuro, quam de praesenti, ubi alteruter conjugum, etiam invito altero, monasticam religionem ingrediatur, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: alteri autem licebit ad secunda vota transire (1). III. Per susceptionem quoque sacri ordinis sponsalia dissolvi placuit (2). IV. Sponsalia quaevis solvuntur, ubi quis longinquas susceperit peregrinationes. Ea enim in specie, si amplius in facto non erit processum, poterit mulier ad alia se vota transferre, recepta de perjurio poenitentia, si per eam steterit, quominus fuerit matrimonium consummatum (3). V. Si contrahantur sponsalia de praesenti, sponsalia de futuro cum alia muliere inita dissolventur (4). VI. Per fornicationem quoque sponsalia dissolvi, edixere Pontifices. Fornicatio autem in praesenti specie subsequatur, oportet: si enim sponsalia praecesserit, et sponso innotuerit, eam remisisse censetur: quod secus habet, si ei fuerit ignota (5). VII. Praeterea sponsalia per insignem aliquam turpitudinem dissolvi, rescripsere Pontifices. Ita si post contracta sponsalia alteruter sponsus leprae morbum incurrat, alter ad nuptias celebrandas compelli non debet (6). VIII. Quin et ob supervenientem furorem (7), ac su-

---

(1) *Cap.* Verum 2. *de Convers. Conjugator.*
(2) *Cap.* Ex litterarum *Qui Cleric. vel vovent. Cap. un. de vot. in VI.*
(3) *Cap.* De illis 5. *de Sponsal. e ꝗ.*
(4) *Cap.* Si inter 31. *eod.*
(5) *Cap.* Quemadmodum 37. *de Jurejur.*
(6) *Cap.* Litteras *de Conjug. Lepros.*
(7) *Cap.* Dilectus 24. *de Sponsal. e ꝗ.*

pervenientem affinitatem (1), cognationemve spiritualem (2) sponsalia dissolvuntur. IX. Postremo dissolvuntur sponsalia per votum castitatis ante ipsa susceptum; cum simplex votum apud Deum non minus obliget, quam sollemne, uti rescripsit Caelestinus III. (3).

TITULUS XI.

De Nuptiis.

Matrimonium in justa aetate, et legitimo consensu fundatur. Justa aetas jure civili praescribitur annorum XII. in foeminis, XIV. in masculis utrimque expletorum. Ex jure vero civili novissimo femellae nuptias contrahunt anno decimo quinto, et mares anno duodevicesimo expleto. At Jure Pontificio potentia potius coëundi spectatur, quam annorum numerus. Quapropter ex habitu corporis magis, quam ex aetate nuptiae definiuntur (4). Proinde si quis legitimam aetatem malitia sua suppleverit, et maritalibus officiis fuerit idoneus, aetatis intuitu non potest a contracto matrimonio discedere; nisi per illatam violentiam nuptiis fuerit adsensus (5).

Legitimus autem consensus ab iis praestari debet, qui voluntate sua in matrimonium conve-

—

(1) *Cap.* Super eo 2. *de Consanguin. et Affin.*
(2) *Cap.* Veniens 5. *de Cognat. spirit.*
(3) *Cap.* Rursus 6. *Qui Cleric. vel vovent.*
(4) *Cap.* Tuae nobis *ult. de Despons. Impuber.*
(5) *Cap.* De illis 9. *eod.*

niunt. Is porro consensus exprimendus est sive verbis, sive nutu; ut proinde mutus nuptias contrahere non prohibeatur; cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare, uti Arelatensi Episcopo rescripsit Innocentius III. (1). Quin dummodo consensus iste sit certus, etiam per procuratorem speciali mandato instructum praestari potest. Consensum autem ab omni metu, qui virum constantem flectere possit, liberum esse, oportet. Per vim enim et metum contractae nuptiae nullius roboris censentur (2). Si tamen is, qui vi metuque nuptias contraxit, cum conjuge sponte habitaverit, cumque ea coiverit, nuptias consistere, edixit Clemens III. (3). Illud autem praeteriri non potest, quod, licet olim secundum regulas Romani juris sine paterno consensu initae nuptiae non consistebant, post Concilium Tridentinum ratae, quamvis illicitae, habentur (4).

TITULUS XII.

De Matrimonii Impedimentis.

Alia sunt impedimenta, quae matrimonium contrahendum impediunt, et contractum dirimunt; alia, quae contractum non dirimunt, sed impediunt contrahendum. Illa propterea *Dirimentia*,

—

(1) *Cap.* Cum apud Sedem *de Sponsal.* *e* [illegible].
(2) *Cap.* Veniens 15. *eod.*
(3) *Cap.* Ad id 21. *eod.*
(4) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Matrimon. Cap. 1.*

haec *Impedientia* appellari solent. Primi generis impedimenta hisce versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, et duplicis desit praesentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae,
Haec facienda vetant connubia, facta relaxant.

Alterius generis impedimenta his clauduntur versibus:

Ecclesiae vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Singula ex ordine exponemus a dirimentibus exordientes.

Error vel in persona, vel in statu, vel in qualitate versatur. Error circa personam, aut statum matrimonium irritum facit. Ita si quis ducere putans Maeviam, duxerit Sejam (1), aut putans cum libera muliere nuptias contraxisse, servam duxisse comperiat, in quam nec facto, nec verbo consensit, nuptiae irritae censentur (2). Contra error circa qualitates admissus nuptiis impedimento non est. Quare si quis divitem putabat, quam pauperem detexit, aut quam censebat virginem, corruptam deprehendit et impudicam, nuptiae iis ex cau-

---

(1) *Can.* Quod autem *un. C. XXIX. q. 1.*
(2) *Cap.* Ad nostram *4. de Conjug. servor.*

sis non dirimentur (1). Tantum si qualitas, ut ait D. Thomas (2), *redundet in personam*, veluti si cui Principis filia matrimonio collocetur tanquam primogenita, et heres Regni, quae talis non sit, nuptiae non consistent.

Voto castitatis vel in sacris ordinibus, vel in monachali professione emisso, quod utrumque solemne vocatur, dirimuntur matrimonia contracta, sive consummata fuerint, sive rata, si quidem nuptias solemne votum antecesserit (3). Quid si votum fuerit emissum post matrimonium ratum, plurimum intererit emissum ne in professione Monastica, an in sacri ordinis susceptione. In priori specie rata matrimonia dirimuntur, consummata manent (4); in posteriori ne rata quidem matrimonia dissolvi possunt (5). Cetera autem vota, quae *simplicia* dicuntur, licet contrahendum matrimonium impediant, contractum tamen non dirimunt (6).

Cognatio quoque nuptiis impedimento esse solet, easque contractas dirimit. Ea triplex est *spiritualis*, *legalis*, *naturalis*. Spiritualis cognatio vel ex Baptismo oritur, vel ex Confirmatione. In Baptismo contrahitur inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem, necnon inter suscipientem, qui ad summum unus adhiberi

---

(1) *Can. un. C. XXIX. q. 1.*
(2) *D. Thom. in IV. Sentent. Dist. 30. art. 2.*
(3) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Sacram. Matrim. can. 9.*
(4) *Cap.* Commissum 19. *de Sponsal. Cap.* Verum 2. *de Convers. Conjugator.*
(5) *Extrav.* Antique *Joan. XXII. de Voto.*
(6) *Cap.* Rursus 6. *Qui Cleric. vel vovent.*

debet, et baptizatum, ejusque patrem, ac matrem. Itidem quae ex Confirmatione contrahitur cognatio, confirmantem, et confirmatum, hujusque patrem, et matrem, ac *tenentem* non egreditur, uti definiverunt Tridentini Patres, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis sublatis (1).

Legalis cognatio ex adoptione descendit. Ea etiamsi fuerit dissoluta, in linea recta nuptias prohibet inter eas personas, quae parentum, et liberorum loco sunt (2). In linea vero collaterali per legalem cognationem prohibentur nuptiae inter adoptatum, et filios adoptantis sub patria potestate manentes. Hujusmodi autem impedimentum, adoptione dissoluta, evanescit (3). Ex ipsa legali cognatione veluti similitudine affinitatis oritur impedimentum inter adoptatum, et uxorem adoptantis (4).

Naturalis cognatio ex corporum conjunctione procedit; eaque duplex impedimentum parit, consanguinitatis, et affinitatis. Consanguinitas est nexus personarum ab eodem stipite descendentium. Ea in lineas distribuitur, et per gradus computatur. Linea vel adscendentes, et descendentes comprehendit, et *recta* dicitur; vel cognatos e latere continet, et *obliqua* nuncupatur. In linea recta nuptiae prohibentur in infinitum, ipsa natura hujusmodi commixtiones aversante. In linea

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. Matrim. cap. 2.*
(2) *L. 55. ff. de Rit. Nuptiar.*
(3) *Can.* Per adoptionem 6. *C. XXX. q. 3. Cap. un. de Cognat. Legal.*
(4) *l. 14. ff. de Rit. Nuptiar.*

vero obliqua, qua olim nuptiae ad septimum usque civilis computationis gradum prohibebantur, ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi IV. ad quartum usque canonicae computationis gradum *inclusive* sunt vetitae (1).

Praeter consanguinitatem affinitas quoque nuptiis impedimenta parit. Affinitas, quae jure civili ex justis nuptiis orta versatur inter conjugem unum, et alterius cognatos, jure Ecclesiastico ex illicito etiam concubitu nascitur (2). In linea quasi recta affinitatis nuptiae semper prohibentur. In linea vero obliqua vetantur nuptiae usque ad quartum gradum inclusive; ubi affinitas ex justis nuptiis oriatur (3). At ubi ex illicito concubitu descendit affinitas, nuptias usque ad secundum gradum prohibuerunt Tridentini Patres (4). Sed haec latius in Jure Civili exequuti sumus.

Crimen sive adulterii, sive raptus etiam et matrimonium contrahi prohibet, et contractum dirimit. Et primum quidem ex jure Ecclesiastico si ii, qui contrahendi animum habent, consilium inierint in alterius conjugis perniciem, atque in illius necem struxerint insidias, conjuge hisce insidiis perempto, nuptias inire prohibentur (5). Praeterea licet unius tantum machinatio intervenerit, et cum insidiatore, occisique conjuge fuerit adulterium commissum, propter duplex crimen,

—

(1) *Cap.* Non debet 8. *de Consanguin. et Affinit.*
(2) *Cap.* Ex litteris 8. *Cap.* Veniens 9. *de Eo qui nexu consanguin.*
(3) *d. cap. 8. eod.*
(4) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. Matrim. cap. 4.*
(5) *Cap.* Significasti 6. *De eo, qui dux. in matrim.*

adulterii scilicet, et homicidii nuptiae dirimuntur Illud quoque in praesenti argumento edixere Pontifices, ut, si duo adulteri, nulla machinatione suscepta, fidem sibi mutuo dederint de nuptiis contrahendis post alterius conjugis mortem, aut reipsa matrimonium contraxerint, nuptiae iniri nequeant, et initae solvantur (1); nisi alter conjugum priores nuptias ignoraverit (2). Quod vero ad crimen raptus pertinet, Ecclesiasticae regulae a jure Civili aberrantes (3) nuptias inter raptorem, et raptam permittunt, dummodo rapta procul a raptore in locum tutum recepta consenserit (4).

Quod ad cultus disparitatem attinet, a primis usque Ecclesiae seculis cum Judaeis, et Infidelibus vetitae semper nuptiae fuerunt (5), ne membra Christi Satanae prosternerentur. Inter ipsos vero Infideles matrimonium consistit. Etsi enim communionem non habeant Sacramentorum, Juri tamen civili subsunt, cujus vinculo ea matrimonia continentur. Quare si utrique ad fidem Catholicam convertantur, utilitate publica suadente, manebit conjugium licet intra vetitos gradus fuerit contractum, cum per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur (6). Ubi vero alteruter convertatur, et, qui manet infidelis, vel abscedere prorsus, vel retinere

(1) *Cap.* Cum haberet 5. *eod.*
(2) *Cap.* Propositum 1. *Cap.* Veniens *eod.*
(3) *Nov. 143. et Nov. 150.*
(4) *Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 6. de Ref. Matrim.*
(5) *Can.* Cave 15. *Can.* Si quis 17. *C. XXVIII. q. 1.*
(6) *Cap.* Gaudemus 8. *de Divort.* eod.

conjugium velit, ut conjugem a vera pietate abstrahat, aut alio modo in peccatum inducat, licebit fideli, novis contractis nuptiis, infidelis consortium declinare (1). At si vir Infidelis plures duxerit, quae per Evangelicam legem retinere est nefas, adhaerebit illi, quacum primo contraxit (2). Ceterum nuptiae inter Catholicos, et Haereticos, puta si Catholica mulier haeretico nubat, quamvis periculi plenae sint, et a Patribus Trullanis damnatae (3), apud Latinos hodie non dirimuntur (4).

Dirimit quoque nuptias ligamen, i. e. matrimonium jam contractum. Eo scilicet consistente, nullum esse matrimonium postea initum, etiamsi prius ratum, posterius fuerat consummatum, rescripsere Pontifices, damnata contraria consuetudine, quae in Mutinensi Ecclesia obtinebat (5).

Nuptiarum dirimens etiam impedimentum est, quod dicitur publicae honestatis. Oritur ipsum quidem ex matrimonio rato, non consummato, et ex sponsalibus puris, et certis, licet sint invalida, modo non fuerint nulla ex defectu consensus (6). Pudor namque suadet, ut a nuptiis abstineamus propinquorum ejus, quae nobis fuit desponsata. Hujusmodi impedimentum ex jure Romano fuit olim definitum, quo ex publica honestate vetabantur nuptiae inter filium, et sponsam

(1) *Cap.* Quanto *eod.*
(2) *d. Cap.* Gaudemus.
(3) *Conc. Trull. can.* 72.
(4) *Cap.* Decrevit 14. *de Haeretic. in VI.*
(5) *Cap.* Licet 3. *Cap.* Tuas 5. *de Spons. duor.*
(6) *Cap. un. de Sponsal. in VI.*

patris, inter patrem, et sponsam filii (1), nec non inter sponsum, et sponsae matrem (2). Sub initia VIII. seculi ad septimum usque gradum in collaterali linea hoc impedimentum fuit productum (3). At Tridentini Patres publicae honestatis impedimentum ex puris certisque sponsalibus de futuro ortum ad primum gradum restrinxerunt (4). In sponsalibus autem de praesenti postea dissolutis impedimentum hoc, antiquo jure manente, ad quartum usque gradum porrigitur (5).

Cum servabus nullae olim censebantur liberorum hominum nuptiae. Ecclesia longo temporis intervallo legitimas servorum nuptias non agnovit, sed tantum, quae naturali jure niterentur, civilibus effectibus destitutas, easque ex dominorum voluntate iniri voluit (6). Sed cum apud Deum non sit distinctio personarum, et neque liber, neque servus sit a Sacramentis Ecclesiae removendus, sensim in Ecclesia receptum, ut servorum contubernia in vera matrimonia abirent, etiamsi invitis dominis forent contracta (7). Quin et ratae habitae sunt nuptiae ab homine libero cum serva initae, modo ille hujus conditionem non ignoraverit; aut postquam ancillam esse intellexit, carnaliter cognoverit (8). Ne quid vero servorum

---

(1) *L. 12. §. 1. et 2. ff. de Rit. Nuptiar.*
(2) *L. 64. §. 4. ff. eod.*
(3) *Cap.* Si quis 1. *C. XXIII. q. 2.*
(4) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. Matrim. cap. 5.*
(5) *Pius V. Const.* Ad Romanum.
(6) *Can.* Dictum est 8. *C. XXIX. q. 1.*
(7) *Cap. 1. de Conjug. Servor.*
(8) *Cap.* Proposuit 1. *eod.*

matrimoniis deesse videretur sacerdotali benedictione consecrari seculo fortasse XII. coeperunt. Illud profecto ex vetustatis moribus superest, quod si quis liber ignoranter cum ancilla contraxit, quam carnaliter non cognovit, dissoluto matrimonio, poterit aliam uxorem ducere, quod Innocentius III. rescripsit (1).

Puberes ad coeundum impotentes nuptias contrahere prohibentur. Impotentia vel ex naturae vitio oritur, vel ex accidenti. Natura impotentes sunt mares debiles, ac frigidiores, et foeminae adeo arctae, ut virum pati non possint. Ex accidenti impotentes sunt mares, qui aliquo tristi eventu, vel pharmaci alicujus violentia, facultate ad venerem exercendam sunt destituti. Primi dicuntur *Frigidi*; postremi *maleficiati* appellantur. Si impotentia ante nuptias non innotuerit, et fuerit post nuptias patefacta, nuptiae statim dissolventur. Quod si dijudicari nequeat, perpetuum ne sit, an temporarium impedimentum, et frustra fuerit medicaminibus vigor quaesitus, ad triennii experimentum est deveniendum, jungendique conjuges, ut per id tempus a contractis nuptiis computandum virium suarum periculum faciant. Ubi vero per id temporis intervallum nullo successu tentata venus, matrimonium dissolvetur; nisi conjuges tamquam fratres, et sorores cohabitare velint. Ceterum de impotentia constare etiam debet ex juramento conjugum ipsorum, et septem propinquorum, quae *septima manus* a Caelestino III. appellatur (2). Quod si alterutcr conjux

—

(1) *Cap.* Ad nostram 4. *eod.* c ❡.
(2) *Cap.* Laudabilem 6. *de Frigid. et Maleficiat.*

falsus deprehendatur, propterea quod aliud matrimonium contraxerit, redintegratis prioribus nuptiis, ad innocentem conjugem redire compellitur (1).

Cum vero semper Ecclesia Parochi, et testium praesentiam exegerit, clandestina matrimonia ante ipsum Concilium Tridentinum et prohibuit, et poenis subjecit. At Tridentini Patres irrita esse voluere matrimonia, nisi praesens Parochus, et duo aut tres testes adhibeantur, quando conjuges in matrimonium consentiunt: tunc enim in faciem Ecclesiae contrahere dicuntur. Ceterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio Parocho tribus continuis festis diebus in Ecclesia inter Missarum sollemnia publice denunciari iidem Tridentini Patres jusserunt, inter quos matrimonium sit contrahendum. Remitti autem denunciationes poterunt, si Ordinario id expedire videbitur (2).

Quae hucusque memoravimus et contrahendas nuptias impediunt, et dirimunt contractas. Jam ea videamus, quae impediunt quidem matrimonium, sed contractum non dirimunt. Et primum quidem impedit matrimonium Judicis interdictum, a quo dilatae sunt nuptiae, quousque alicujus latentis mali suspicio, aut impedimentum auferatur. Qua quidem in specie, durante causae cognitione, conjuges separantur (3).

Praeterea nuptiis impedimento est Ecclesiae interdictum, quae certis anni temporibus nuptias sollemniter celebrari vetat. Isthaec tempora praefi-

---

(1) *d. cap. 6. et cap. 1. eod. e ꝁ.*
(2) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. Matrim.*
(3) *Cap.* Ex litteris 2. *de Matrim. contract. contra interdict. Eccles. e ꝁ.*

nita sunt ab Adventus Dominico die usque ad Epiphaniam, et a Feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis diem expletam (1).

Quin et sponsalia de futuro impediunt sponsalia de praesenti (2); et votum simplex, quo se quis a matrimonio temperaturum promisit, contrahendum matrimonium impedit, sed contractum non dirimit (3). His addenda doctrinae Christianae ignorantia (4), et quaedam crimina, quae nuptias impediebant, donec poenitentia foret peracta.

TITULUS XIII.

De Divortiis.

Divortium inter virum, et uxorem fieri dicitur; repudium vero sponsae remitti videtur, quod in uxoris personam non absurde cadit, ait Modestinus (5). At jure Ecclesiastico *divortii* vocabulo non solum ipsa matrimonialis vinculi solutio designatur; sed etiam separatio cohabitationis, et concubitus sine novarum nuptiarum libertate, sive ad tempus, seu in perpetuum ea separatio fiat. Licet autem matrimonium origine, et natura sua sit individuum omnis vitae consortium; tamen apud plerasque gentes divortia fuerunt recepta. Quicumque porro fuerint aliarum gentium

(1) *Conc. Trid. Sess. XXV. de Ref. Matr. cap. 10.*
(2) *Cap.* Sicut 12. *de Sponsal. e* §.
(3) *Cap.* Meminimus 3. *Qui cleric. vel vovent.*
(4) *Benedict. XIV. Bull.* Etsi minime.
(5) *L. 2. ff. de Divort.*

mores, certe Evangelica lege matrimonium ratum et consummatum prorsus insolubile est propter verba Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (1).

Jam vero pleraeque sunt causae, ex quibus licet conjugibus thori separationem suscipere. Et primum quidem si uterque conjux castitatem voveat, aut in Regulari Religione professionem emittat, thori separatio continget (2). Quod si vero alter conjugum ad monasticam professionem transierit, uxore nec monasterium ingrediente, nec continentiam perpetuam vovente, poterit de monasterio revocari (3). Tantum si matrimonium fuerit ratum, et non consummatum licebit alteri, altero repugnante, eligere monasterium, ei qui continentiam servare noluit, potestate facta ad secunda vota transeundi (4).

Praeterea si alter conjugum ad infidelitatis maleficium devenerit (5), aut disjunctio emendationem adulterae uxoris afferre possit (6), thori separationem non prohibuere Pontifices. Itidem ob viri saevitiam uxorem ab eo amoveri oportere, rescripsit Innocentius III. (7). Quin et sine uxorum assensu viri ultramarinae peregrinationis propositum suscipere possunt, et, quod voverint, libere adimplere (8). Postremo, si alter conjugum adul-

(1) *Matth. XIX. v. 5.*
(2) *Cap.* Quidam 3. *de Convers. Conjugator. e* ꝫ.
(3) *Cap.* Praeterea 1. *eod.*
(4) *Cap.* Verum 2. *eod.*
(5) *Cap.* Quaesivit 2. *h. t. e* ꝫ.
(6) *Cap.* Si vir sciens 3. *de Adulter. e* ꝫ.
(7) *Cap.* Litteras 13. *de Restitut. spoliator. e* ꝫ.
(8) *Cap.* Ex multa 9. §. 2. *de Voto e* ꝫ.

terio se polluerit, aut infandae Veneris scelus admiserit, conjugum cohabitationem, et thorum separari posse, voluere Pontifices (1) (*a*). Separatio autem ob adulterium non permittitur, si mulier invita fuit compressa (2); si eodem delicto utrique conjuges involvantur (3); si vir ipse adulterium uxori suaserit (4); vel denique si maritus ante baptismum uxorem repudiavit, et deinde ambo ad fidem Catholicam venerint. Ea enim in specie uxor, si secundis nuptiis fuerit funestata, ad primum virum redire cogetur, et vir compelletur dimittere secundam, quam forte duxerat (5).

---

(1) *Cap.* Quemadmodum 25. *de Jurejur.*

(a) *Per adulterium dirimi matrimonium nonnulli Graeci Patres docuerunt, ut liceret conjugibus ad alia vota transire. Sed in Latina Ecclesia, Augustini praesertim auctoritate, receptum, ut per adulterium nuptiarum vinculum dissolvi non possit. Hanc sententiam Pontificia auctoritate firmarunt inter alios Alexander III., et Innocentius III.* cap. 7. de Divort. *qui postremus Pontifex ex verbis Christi hanc regulam procudit:* Qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, fornicatur. *Cap. 8. eod. Tandem Concilium Tridentinum anathema iis dixit, qui asserunt, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet juxta Evangelium, et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi.* Can. 7. de Sacram. Matrim. Sess. XXIV.

(2) *Can.* Ita ne 3. *C. XXXII. q.* 5.

(3) *Cap.* Tua fraternitas 7. *de Adulter. e*ꝫ.

(4) *Cap.* Discretionem 7. *De eo, qui cognov. consanguin. e*ꝫ.

(5) *Cap.* Gaudemus 8. *h. t. e*ꝫ.

TITULUS XIV.

De Matrimonii impedimentis tollendis.

Per legitimam potestatem matrimonii impedimenta humano jure constituta removentur. Hujusmodi beneficium *dispensatio* dici solet. Quidquid autem circa matrimoniales dispensationes veteris juris fuerit, jam inde a seculo XI. receptum videtur, ut, qui impares contrahendis nuptiis jure humano forent, ab Ecclesia potestatem obtinerent.

Porro rarius olim vetita matrimonia permittebat Ecclesia: *primam enim salutem rectae fidei regulam custodire* intelligebat, *et a constitutis Patrum nullatenus deviare*; ut ad Episcopos Hispaniae scripsit Hormisdas (1). Quin antiquitus dispensationes potius *male contracti matrimonii toleratrices fuerunt*, quam contrahendarum nuptiarum (2). Secundum enim veterem disciplinam facilius infracti canonis poena remitti solebat, quam venia dari ad canones infringendos. Lapsu temporis dispensationes passim indultae. Quamobrem Tridentini Patres postquam edixerunt, Ecclesiam *impedimenta matrimonium dirimentia constituere potuisse, in iisque constituendis non errasse* (3), parce admodum impedimenta remitti voluerunt ad canones infringendos;

—

(1) *Can.* Prima 9. *C. XXV. q. 1.*
(2) Christ. Lupus *schol. in can. XI. Conc. Rhemen.*
(3) *Conc. Trid. can. 4. de Sacram. Matrim.*

mitius vero cum iis agi praescripserunt, qui bona fide nuptias vetitas contraxerint (1).

Jam vero sine justa causa Ecclesia matrimonii impedimenta non aufert: *In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur: in secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, et ob publicam causam*, edixere Tridentini Patres (2). Causae autem, ex quibus vetitae nuptiae permitti solent ex Ecclesiae utilitate, aut ex necessitate definiri debent (3). Ceterum quaecumque sit causa, quae pro vetitis nuptiis contrahendis affertur, ea vera sit oportet, et ex bona fide proposita. Per obreptionem enim, vel subreptionem impetratae Apostolicae litterae nullius roboris censentur, cum mendax precator carere debeat penitus impetratis (4); praesertim cum in Pontificiis rescriptis adjecta semper ea clausula intelligatur: *Si preces veritate nitantur.*

TITULUS XV.

De Secundis Nuptiis.

Nomine secundarum nuptiarum non simultanea polygamia heic designatur (*a*); sed secundae, ter-

---

(1) *Trid. Sess. XXIV. de Reform. Matrim. cap. 4.*
(2) *Conc. Trid. d. Sess. XXIV. c. 5.*
(3) S. Bernard. *lib. III. de Consid. cap. 10.*
(4) *Cap.* Super 20. *de Rescript.* e &.
(a) *Polygamia simultanea ex sapientiorum virorum sententia naturali juri adversatur. Ipsa divina matrimonii in-*

tiaeve nuptiae post obitum primi, alteriusque conjugis rite contractae. Eae nusquam gentium vetitae fuerunt; et disertissime docuit Apostolus, mulierem post viri obitum maritali nexu liberari, et cui velit, nubere posse (1). Unis Montanistis Apostolica doctrina non adrisit, iique propterea secundas nuptias damnarunt, in quorum sententiam Novatiani iverunt, qui ea de causa Christinos *carnales* appellabant (2). Id in causa fuit, quapropter Nicaeni Patres Novatianos ab haeresi venientes non reciperent, nisi professi forent, se cum iis communicaturos, qui secundas nuptias celebrabant (3).

Jam vero licet secundae nuptiae a Christi doctrina non abhorreant; veteres tamen Patres modo *fornicationem* (4), modo *speciosum adulterium* (5), et interdum *speciosam fornicatio-*

---

stitutio id inculcasse videtur. Deus enim jussit, virum uxori suae adhaerere, atque duos esse in carne una. Licet vero apud Hebraeos olim polygamiam obtinuisse compertum sit, ea tamen ipsis vitio versa non fuit, quia intererat, plures habere filios, quo Christi genus secundum carnem ab omnibus distingueretur. Vid. Augustin. *de Bon. conjug. cap. 19. Ceterum apud Romanos infamis censebatur, qui duas simul uxores haberet. l. 18. C. de leg. Jul. de Adult. Et Graeci tantum ex necessitate duas uxores simul permittebant.* Potter. *Archaeol. lib. IV. cap. 11. Utcumque id sit, apud Christianos ex Christi doctrina polygamia prorsus est proscripta, et a Patribus poenae fuerunt contra polygamos constitutae.*

(1) *I. ad Cor. VII. 39. et I. ad Timoth. V. 14.*
(2) Tertull. *de Monogam. cap. 1.*
(3) *Conc. Nicaen. can. 8.*
(4) Clem. Alexandr. *Strom. III.*
(5) Athenagoras *Legat. pro Christian.*

nem (1) dixerunt, nescio quid incontinentiae in ipsis subodorati. Si quae vero tertiae, vel quartae contraherentur nuptiae, eae *porcina vita* censebantur (2), et indignae, quae *matrimonii* nomine donarentur (3). Quare Patres Neocaesareenses poenitentiae canonicae eos, easque subjiciunt, qui, quaeve plures ducerent uxores, pluribusque viris nuberent (4). Id ea fortasse de causa constitutum, ut orationibus quodammodo expiarentur. Ceterum secundis nuptiis infensi veteres Patres fuerunt ob continentiae studium, quod priscis Christianis in deliciis fuit, qui aut coelibes vivere solebant, aut monogami (5): ut proinde bigamos a canone alienos pronunciarint (*a*).

—

(1) Auctor Op. imperf. *in Matth. hom. 32.*
(2) Nazianzen. *Orat. XXXI. cap. 5.*
(3) Basilius *Epist. Can. Cap. 4.*
(4) *Conc. Neocaesar. can. 3.*
(5) Minucius Felix *in Octav. cap. 31.*
Theophil. Antioch. *lib. 3. ad Autolyc.*

(a) *Monogamia ipsis Gentilibus maximo in pretio fuit. Graecis sane praeclarum visum*, μονανδρουαι *eoque nomine maximopere celebrata Penelope. Contra ad ignominiam Helenae cessit, quod pluribus viris nupserit. Quin Charondas senatu moveri voluit, qui, mortuis uxoribus, novercam liberis inducerent.* Diodor. Sicul. *lib. XII. cap. 12. Apud Aegyptios Apidis Sacerdotium nonnisi monogamo deferebatur.* Cael. Rhodigin. *Lect. Antiq. lib. XXVIII. Ut cetera praeteream, ipsi Romani a secundis nuptiis abhorrebant. Vid.* Festum *v.* Signum pudicitiae, Valer. Max. *lib. II. c. 1.*, Tacit. *Annal. II. 86. Hinc maximopere laudatur Cornelia Gracchorum mater, cui tantum fuit pudicitiae, ut Ptolemaei nuptias repudiarit.* Plutarch. *Vit. Tib. Gracchi. Nec minorem adsecuta gloriam altera Cornelia ita Aemilium Paulum allocuta apud* Propertium *lib. IV. Eleg. 12.*

Porro secundae nuptiae licet non prohiberentur, apud veteres tamen Christianos et in Orientali, et in Occidentali Ecclesia sacra benedictione non consecrabantur (1). At labente tempore mos iste exolevit, et sacra benedictio secundis nuptiis fuit impartita. Tantum apud Graecos secundarum nuptiarum benedictio continet orationes, quibus Deo supplicatur, ut secundis maritis parcat: et apud Latinos extra missarum sollemnia secundae nuptiae benedici consueverunt, cum primis nuptiis in publica missa sollemnis benedictio detur. Quare si Urbanus III. nuptialem benedictionem iterari non debere edixerit, id quidem de sollemni benedictione intelligi debet (2), quam si quis secundis nuptiis fuerit impartitus, eum officio, beneficioque suspensum ad Sedem Apostolicam destinari, jussit Alexander III. (3).

Secundum regulas Romani juris viduae propter reverentiam marito debitam intra annum luctus secundis nuptiis funestari prohibebantur (4). Mariti autem extra legis poenam erant. Si quae porro mulieres intra annum a morte viri enuberent, et infamia notabantur (5), et nihil ex testamento, mortisve causa donationibus capiebant, et a legitimis hereditatibus usque ad tertium gradum arce-

—

Jungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili,
In lapide hoc uni nupta *fuisse legar.*
Filia, tu specimen censurae nacta paternae,
Fac teneas unum nos imitata virum.

(1) *Conc. Neocaesar. can. 7.*
(2) *Cap.* Vir autem 3. *de Secund. Nupt.* e ꝯ.
(3) *Cap.* Capellanum 1. *eod.*
(4) *L. 3. C. de Secund. Nupt.*
(5) *L. 9. ff. de his, qui not: infam.*

bantur (1). At jure Pontificio viduam intra annum luctus nubentem nulla sequitur infamia (2): quemadmodum et ceterae poenae secundo nubentibus inflictae cessarunt (3), iis exceptis, quae favore liberorum primi matrimonii fuerunt constitutae (4).

TITULUS XVI.

De Sacrosanctis Ecclesiis, atque Altaribus Construendis, Consecrandis, Reparandis.

Ecclesiae nomine Fidelium societas designatur. Per metonymiam vero locus significari solet, ubi concio, et coetus fidelium sacrorum agendorum causa habetur. In praesenti argumento Ecclesiam posteriori notione accipimus, quatenus scilicet aedificium denotat sollemni ritu consecratum, aut benedictum, divini cultus peragendi causa constructum (*a*). Primis Ecclesiae seculis nec amplae, nec splendidae fuerunt Christianorum Eccle-

---

(1) *L. 1. C. eod.*
(2) *Cap.* Super illa 4. *cap.* Cum secundum 5. *de Secund. Nupt. e* ꝗ.
(3) Ant. Faber. *Cod. lib. I. cap. 12.*
(4) Gudelin. *Jur. Noviss. lib. I. cap. 12.*
(a) *Ecclesiae aliquando dicuntur* Concilia, *aliquando* Dominica, Domus Dei, *aliquando* Oratoria, *et* Domus Orationis, *aliquando vero* Martyria, Apostolea, *et* Prophetea *appellantur, quatenus scilicet reliquiis, memoria aut sepulcro Martyris, Apostoli, vel Prophetae distinguuntur. Latinis* Tituli *nuncupantur. Videsis Cangium v.* Titulus.

siae, ita persecutionum furore, et Christianorum moribus postulantibus. At pace Christianis data, in novam, augustioremque formam passim Ecclesiae aedificatae, quae deinceps et *Templa*, et *Basilicae* frequentius audierunt.

Porro Ecclesiae aliae sunt *Cathedrales*, aliae *Collegiatae*, aliae *Parochiales*, aliae *Conventuales*. Cathedralis Ecclesia et *magna*, et *matrix* a Patribus Africanis (1), et *Catholica* a Martino Bracharensi (2) nuncupata, ea dicitur, in qua Cathedra, et Episcopi sedes posita est, et communis totius dioecesis parochia. Collegiata habet Canonicorum collegium, sed Episcopali Cathedra destituitur. In Ecclesia Parochiali a Parocho sub Episcopo cura animarum exercetur (*a*). Ecclesiae denique Conventuales sunt Regularium sacella a Monachorum conventu ita appellata. Ea antiquitus privata fuerunt Oratoria; at labente tempore in paroecialium Ecclesiarum detrimentum omnibus patuerunt. Huc referri possunt *privata Oratoria*, minores nempe tituli aut in agris, aut in magnatum domibus constructi, qui vulgo *Cappellae* vocantur. Hujusmodi minores Ecclesiae in usum familiae ruri commorantis potissimum aedificatae. Festis diebus, in quibus in Ecclesia Cathe-

---

(1) *Cod. African. can. 55. et 123.*
(2) *Can.* Si quis 44. *Dist. L.*
(a) *Paroecialium Ecclesiarum aliae sunt* matrices, *et* baptismales, *aliae* paroeciales *simpliciter dictae. Matrices veluti matres inferiorum titulorum censentur, et interdum in ipsis tantum baptismus confertur. Ubi autem reliquis inferioribus Ecclesiis Baptisterium conceditur, eae matrici Ecclesiae reverentiam debent, et honorem.*

drali, aut Paroeciali synaxis agitur, sacra in privatis oratoriis fieri Ecclesiasticae regulae vetant (1), in quibus sine Episcopi auctoritate liturgiam celebrare nefas (2). Lapsa disciplina, Fideles, Parochiali Ecclesia relicta, ad privata oratoria convolarunt. Illud autem adverti debet, ab hujusmodì Cappellis rite seu consecratis, seu benedictis longe distare mobiles Cappellas intra domesticos parietes constructas, in quibus altare tantum est consecratum.

Supra reliquas Cappellas eminent, quae *Regiae*, *Palatinae*, et *Dominicae* vocantur. Christianis Principibus in more fuit et in Regiis Aedibus oratoria habere, et Cappellas secum, quocumque itarent, deferre. Quin et in ipsis Dominicis fundis Cappellas excitare Reges consueverunt, queis Regiarum Cappellarum praerogativae non defuerunt: Hujusmodi Cappellis adscripti Clerici *Cappellanì Regii*, et *Palatini* fuerunt nuncupati. Ii Episcopo Dioecesano suberant olim. Sed deinceps *Palatini* Clerici, quemadmodum et Cappellae, ab Episcoporum jurisdictione exemti (3); iisque praeesse coepit *Cappellanus Major*, qui et *Palatii Custos*, et *Archicappellanus* dictus est (4). In Regno Neapolitano *Cappellanus Major* et Palatinis Clericis tamquam proprius Antistes praeest, et in omnes Ecclesias Palatinas jurisdictione fungitur.

Jam sine Episcopì consensu Ecclesiam, cujus-

---

(1) *Conc. Agathens. can.* 21.
(2) *Conc. Trullan. can.* 31.
(3) *Cap.* Cum Cappella 16. *de Privileg.* c ğ.
(4) Cangius *v. Cappellani.*

cumque generis ea sit, aedificare nemo potest, uti Chalcedonenses Patres edixerunt (1). Antequam vero Ecclesia aedificetur, debet Episcopus, aut ejus mandato alius crucem humi defigere, atrium publice designare, primum lapidem jacere, aqua lustrali aspergere (2). Sine causa autem Ecclesiam aedificari noluerunt Patres Bracharenses (3). Ita si Paroecialis Ecclesia tantum distet a villa, ut Paroeciani sine magna difficultate ipsam adire non possint, novam Ecclesiam, etiam invitis Rectoribus aedificari oportere, rescripsit Alexander III. (4). Ceterum ubi populus ita excreverit, ut unus Rector Sacramentis ministrandis non sufficiat, Episcopi alios adjungere debent, qui divino cultui peragendo sint satis (5).

Porro Ecclesiae aedificatae congrua portio ex antiquae reditibus attribui debet, Rectori veteris Ecclesiae jure patronatus quaesito (6). Quod si Ecclesia Paroecialis collabatur, ex ejusdem fructibus, et proventibus refici eam, jusserunt Tridentini Patres. Ii fructus si non sufficiant, omnes patronos, quive ex ea Ecclesia aliquos proventus percipiunt, aut in illorum defectum parochianos omnes ad Ecclesiam reparandam cogi oportere, iidem Patres voluerunt. Id autem sine Regis venia apud nos Episcopis attentare nefas. Nemo enim, nisi Princeps, ad collectas conferendas cogere quemquam

(1) *Conc. Chalced. can. 4.*
(2) *Can.* Nemo 9. *Dist. 1. de Consecrat.*
(3) *Can.* Si quis 10. *Dist. ead.*
(4) *Cap.* Ad audientiam 3. *de Eccles. aedific.* e ꝟ.
(5) *Conc. Trid. sess. XXI. de Ref. cap. 4.*
(6) *Cap.* Ad audientiam 3. *de Eccles. aedific.* e ꝟ.

potest. Ubi vero nimia egestate omnes laborent, ad matrices, aut viciniores Ecclesias parochiani transferentur (1). Quod si Ecclesia non fuerit paroecialis, ab iis reparari debet, qui beneficia ibi possident pro rata beneficiorum, et fructuum; modo fructus beneficiorum ipsis supersint (2).

In Ecclesiis aedificatis non prius sacra peragi possunt, quam ab Episcopo Dioecesano, aliove Episcopo, Dioecesani mandato, fuerint consecratae. Licet enim Episcopus committere possit, quae sunt jurisdictionis; quae tamen sunt ordinis Episcopalis, inferioris gradus Clericis demandare non posse, rescripsit Gregorius IX. (3). Ecclesiae autem consecratio seu diebus Dominicis peragatur, seu privatis, nihil refert (4). Illud vero certum est, Ecclesiam sollemni ritu consecratam aut ab igne exustam, aut sanguinis, vel cujuscumque seminis effusione pollutam iterum consecrari non debere, uti statuerunt Nicaeni Patres (5). Quin si ligneis Ecclesiae aedificiis casu consumtis, parietes illaesi manserint Ecclesiam denuo consecrari vetuit Innocentius III. (6). Et quamvis olim ob altare motum, lapidemque confractum, aut deminutum iterum consecraretur Ecclesia (7); tamen jure novo id secus obtinere voluit Alexander III. (8).

---

(1) *Sess. XXI. de Ref. cap.* 7.
(2) *Cap. 1. de Eccles. aedific.*
(3) *Cap.* Aqua 9. *de Consecrat. Eccles.*
(4) *Cap.* Tua fraternitas 2. *eod.*
(5) *Can.* Ecclesiis 20. *Dist. 1. de Consecrat.*
(6) *Cap.* Ligneis 6. *de Consecrat. Eccles.* e 8.
(7) *Can.* 19. *Dist. 1. de Consecrat.*
(8) *Cap.* Adhaec 1. *de Consecr. Eccles.* e 8.

Porro si Ecclesia polluatur, reconciliari debet. Polluitur autem Ecclesia per homicidium (1), per humani sanguinis, et per quamcunque humani seminis effusionem (2), necnon per excommunicati sepulturam (3). Illud autem explorati juris est, polluta Ecclesia, contiguum coemeterium pollutum censeri, non contra; ne accessorium ad se principale trahere videatur, uti ait Bonifacius VIII. (4). In Ecclesia autem polluta sacra mysteria celebrari nefas, antequam reconcilietur. Ubi vero per excommunicati sepulturam pollutio contigerit, cadaver, si discerni queat, jactari foras, voluere Aurelianenses Patres, Ecclesiamque mundari (5). Ecclesia porro consecrata reconciliabitur ab Episcopo per aquam cum vino, et cinere benedictam (6). Ubi vero Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, aqua exorcizata per ipsum presbyterum protinus reconciliari debet, ne divinae laudis organa suspendantur, ut ait Gregorius IX (7).

—

(1) *Cap.* Proposuisti 4. *eod.*
(2) *Cap.* Si Ecclesia 10. *eod.*
(3) *Cap.* Consuluisti 7. *eod.*
(4) *Cap.* Si Ecclesiam *un. eod. in VI.*
(5) *Can.* Ecclesiam 27. *Dist. 1. de Consecrat.*
(6) *Cap.* Proposuisti 4. *de Consecr. Eccles. eod.*
(7) *Cap.* Si Ecclesiam 10. *eod.*

TITULUS XVII.

De Locali Immunitate.

De Personali, et Reali immunitate pro instituti ratione superiori libro nonnulla adspersimus, nunc et localem immunitatem paucis enarrabimus. Ea sane fit, ut quicumque ad Ecclesias, et alia loca Ecclesiastica confugerint, securitatem sibi parent. Ex moribus primum recepta immunitas localis latis Principum legibus deinde firmata est. Quidquid autem veteris juris fuerit, medio aevo localis immunitas maximis aucta est incrementis. Sane Concilium Aurelianense I. (1), et Concilium Toletanum XII. (2) statuerunt, ut criminibus illigati si ad Ecclesiam confugerent, inde non abstraherentur. Et Capitularia Regum Francorum edicunt, confugientes ad Ecclesiam, ad poenam, vel mortem abripi inde non posse. Sed seculo XIII. ineunte, localis immunitas maximopere fuit restricta. Innocentius III. publicos latrones, et nocturnos agrorum depopulatores asylo exclusit (3). Et Gregorius IX. immunitatis auxilio eos spoliavit, qui per Ecclesiae suorum criminum impunitatem obtinere sperantes homicidia, et mutilationes membrorum in Ecclesiis, et coemeteriis committere auderent: *frustra enim legis auxilium invocat, qui committit in legem* (4). Quin ab altari evelli

(1) *Conc. Aurelian. can.* 3.
(2) *Conc. Toletan. XII. can.* 12.
(3) *Cap.* Inter alia 6. *de Immunit. Ecclesiar. eod.*
(4) *Cap.* Immunitatem 10. *eod.*

eum voluit idem Pontifex, qui per insidias alterum occidisset (1). His accensuit Julius II. Majestatis reos, homicidas, et depraedatores.

Utcumque autem de criminibus statutum, quae Ecclesiastica immunitate defendi Pontificibus non placuit, inter Benedictum XIV., et Carolum Borbonium ea res plenius fuit definita. Itaque asylo exclusi I. Incendiarii, quique eos ope, consiliove juverint. II. Plagiarii, qui homines eo animo abducunt, ut se pecunia redimant; quique nuntiis, litterisve perlatis, pecuniam, aliasque res comminationibus extorquent. III. Venefici, qui venenum hominis necandi causa parant, vendunt, praebent, licet effectus consilio non responderit. IV. *Assassini*, i. e. qui caedem hominis mandant, quive mandatarii munus ea in re suscipiunt, aut consilium, operave ferunt, modo vulnus tantum inflictum. V. Latrones, et grassatores viarum, licet neminem laeserint. VI. Qui noctu adulterinis clavibus domos, tabernas, aliasve cellas promtuarias ingressi tantum inde abstulerint, quod capitali poena vindicari oporteat. VII. Qui per noctem simulato Curiae nomine alienas domos intraverint, ubi aut furtum fecerint, aut mulieribus vim intulerint. VIII. Qui publicae argentariae mensae syngraphas adulterinas conficiunt, verasque tabulas adulterant. IX. Mercatores, qui dolo malo decoxerunt. X. Fiscalis pecuniae Quaestores, publicis mensis argentariis, publicisque *Montibus*, atque Universitatum aerariis Praefecti, qui ex publica pecunia tantum furentur, quod legitima poena ex-

(1) *Cap.* Si quis 1. *de Homicid.* e ij.

piari debeat. XI. Rei perduellionis, quique Majestatem ex secundo capite attentaverint, i. e. qui Magistratibus jurisdictionem exercentibus injuriam irrogaverint. XII. Qui ab Ecclesia reos abduxerint, abducive jusserint. XIII. Qui in loco immuni homicidium, membrorumve mutilationem perpetraverint, aut crimen admiserint, quod poena sanguinis, aut triremium vindicatur. XIV. Qui immuni loco abusi, et jussu Episcopi alio translati a crimine non abstinent. XV. Agrorum depopulatores, haeretici, falsas Apostolicas litteras scribentes, homicidae ex praemeditatione, et qui monetam adulterinam cudunt, publicosque nummos radunt, tingunt, lavant. (1).

Jam vero solae Ecclesiae asylum praestabant olim (2). Theodosius Junior localem immunitatem ad *exedras*, i. e. *septa* extendit (3). Patres Concilii Toletani XII. asylum passibus triginta circum Ecclesiam definiverunt (4). Et Nicolaus Papa majori Ecclesiae passus quadraginta, minoribus triginta per circuitum asyli nomine praefinivit (5).

Non modo autem consecratis, sed et non consecratis Ecclesiis, modo in ipsis divina mysteria celebrentur, jus asyli datum (6). Quin et ipsae domus Episcopales, et Parochiales, praesertim si intra septa forent, et coemeteria, ab Ecclesiis disjun-

---

(1) *Concordat. cap.* 2.
(2) Gothofred. *ad l.* 4. *C. Theod. de His, qui ad Eccles. confug.*
(3) *L.* 4. *C. Theod. eod.*
(4) *Can.* Definivit 35. *C. XVII. q.* 4.
(5) *Can.* Sicut 6. *ead.*
(6) *Cap.* Ecclesiae 9. *de Immunit. Eccles. e* ij.

cta, et cruces in terram defixae, et xenodochia, aliaque religiosa loca securitatem criminosis praestiterunt. Sed ex pactis inter Carolum Borbonium Augustum, et Benedictum XIV. Rom. Pontificem conventis localis immunitas certis est conclusa finibus. Ita fuit constitutum, ut Ecclesiae rurales, in quibus Eucharistia non servatur, modo non sint paroeciales, aut ad curam animarum addictae; Oratoria privata, etsi publicarum Cappellarum privilegiis fruantur; Cappellae castrorum immunitatem non praestent. His adjungi debent Ecclesiae derelictae, horti, viridaria, et alia loca Ecclesiarum parietibus non conclusa, quaeque profanis usibus destinata muris Ecclesiarum, aut monasteriorum adnectuntur, ipsaque turris campanaria ab Ecclesiae parietibus sejuncta. Paroeciales vero aedes Ecclesiis conjunctae, queis in Ecclesiam interius patet aditus, asylum praebent. Asyli autem spatium non excedit atrium muro circumdatum, porticus, scalas, portas seu adversas, seu laterales, et adspectum anteriorem (1).

Qui criminosos ab Ecclesiis abducunt, violatae immunitatis rei, tamquam ex crimine majestatis, jure civili arcessebantur olim (2); et posteriori aevo ex regulis Ecclesiasticis communione ejectis et publicae poenitentiae subjiciebantur, et multam Episcopo componebant (3). Seculo XI. sola excommunicatio in violatores Ecclesiasticae immunitatis obtinuit. Cum vero saepius de jure asyli lites subo-

—

(1) *Concord. cap. 2. de Local. Immunit.*
(2) *L. 2. et 9. C. de His, qui ad Eccles. confug.*
(3) *Can.* Si quis 20. *Can.* Definivit 35. *C. XXVII. q. 4.*

rirentur, apud nos ex praedicto Concordato potestas Episcopis facta est, censuris magistratus coërcendi, qui adversus immunitatem attentarent, asyli beneficio iis ademto, qui reos inde deducerent (1). Ceterum si ob scelus admissum judex laicus reum ab Ecclesia abstrahendum putaverit, ab Episcopo, ejusve Vicario, vel ab eo qui Superioris vice fungitur, veniam petet. Jurato autem Judex laicus cavebit, se abductum reum Ecclesiae nomine detenturum, eumque asylo restituturum, si immunitati locus erit. Id porro nisi praestiterit, tamquam violatae immunitatis reus canonicas poenas subibit. Ceterum si laico judici venia abducendi ab Ecclesia reum denegabitur, is, praestita cautione, jure suo utetur (2).

TITULUS XVIII.

De Sepulturis.

Pro Gentium diversitate diversa fuit olim sepeliendi ratio. Alii quidem condiebant, alii humabant, et plerique cadavera cremabant, ac cineres humo committebant. At Christianis, crematione rejecta, sepelire cadavera placuit. Sepulcra autem ex Romanis legibus extra urbem plerumque in agris secus viam poni consueverunt, quo transeuntes suae mortalitatis admonerentur: in Ecclesiis sepeliri non licuit. Ubi vero Martyrum reliquiae in Ecclesiis conditae, sensim Principibus veluti ex pri-

(1) *Concord. cap. 2.*
(2) *Concord. c. eod.*

vilegio datum, ut juxta eorum corpora quiescerent. Labente tempore, Christianis prope Martyrum ossa sepeliri petentibus, atria, porticusque Ecclesiarum laicis in Occidente patuerunt; Principes, Episcopi, Abbates, et qui vitae probitate inclaruerant, in templis conditi (1). Seculo fortasse IX. Episcopis, et Parochis potestate facta decernendi, quos intra Ecclesias sepeliri vellent, facile Christianis omnibus in Ecclesiis dormitionis locus datus est. Ceterum quamvis Ecclesiae cunctis fidelibus pro dormitione patuerint; posteriora tamen Concilia, et praesertim Mediolanensia sub S. Carolo Borromaeo coemeteria pro Christianorum sepultura constitui jubent. Sunt Coemeteria, i. e. *dormitoria*, loca religiosa Episcopali benedictione fidelibus sepeliendis addicta.

Jam vero Christiani in loco religioso sepeliri debent. Si quis profanum sibi locum pro sepultura delegerit, hujusmodi electionis nulla ratio habebitur. Ecclesiastica enim sepultura Ecclesiasticae communionis pars censetur. Cuilibet autem locum sepulturae eligere licet, dummodo ibi sit jus funerandi. Ex recepto vero Ecclesiastico jure paroecianos in sua paroecia sepeliri oportet, ubi viventes Sacramenta acceperunt (2). Si qui majorum sepulcra habuerint, veluti ex tacita ipsorum electione paroecialem sepulturam ipsis cessare placuit (3). Non absimili ratione a paroeciali coemeterio abesse iis licet, qui sibi locum dormitionis

---

(1) *Conc. Moguntin. can. 52.*
(2) *Cap. 1. eꝫ h. t.*
(3) *d. Cap.*

elegerint; ut et puberi adolescenti in sacris paternis constituto (1), et uxori, invito viro (2), sepulturam extra paroeciam deligere liceat. Quod si mulier sepulturae locum sibi non optaverit, in mariti sepulcro sepelietur (3). Si qua autem pluribus nuptiis se funestavit, cum ultimo marito, cujus retinet domicilium, et honorem, tumulari jussit Bonifacius VIII. (4). Impuberi autem ob consilii inopiam pater sepulturam deligit, si id ex consuetudine obtineat; secus majorum sepulcrum, aut paroeciale coemeterium ipsi patebit (5). Quod si quis duabus in paroeciis sacramenta acceperit, aut domicilium utrobique habuerit, locus erit praeventioni, et divisioni quartae funerariae. Ubi vero quis ruri decesserit, quo se recreationis causa, vel ut ruralia exerceret, contulit, ad urbanam parochiam transferetur, si id sine periculo fieri possit (6). Ceterum licet paroecia commune sit paroecianorum sepulcrum, ex privilegio tamen Fratribus Praedicatoribus, et Minoribus jus sepeliendi in propriis Ecclesiis datum; modo in iis fuerit coemeterium electum (7), et *salva sit Ecclesiarum justitia, a quibus corpora adsumuntur* (8), i. e. Ecclesiarum paroecialium jura salva consistant. Ea sane de causa si quid ea in re per fraudem

(1) *Cap.* Licet. 4. *eod. in VI.*
(2) *Cap.* De uxore 7. *eod. eꝫ*
(3) *Can.* Unaquaeque 3. *C. XIII. q. 2.*
(4) *Cap.* Is, qui 3. §. 1. *h. t. in VI.*
(5) *Cap.* Licet 4. *eod. in VI.*
(6) *Cap.* Is, qui 3. *eod. in VI.*
(7) *Clement.* Dudum. 2. *eod.*
(8) *Cap.* Certificari 9. *eꝫ. eod.*

fuerit admissum, ipsum cadaver, si petatur, effodi, et oblationes omnes sepulturae nomine acceptas intra ipsum decennium restitui jussit Bonifacius VIII. (1).

Jam vero pro exsequiis, et sepulturae loco, ne obtentu quidem consuetudinis, quidquam exigi, prohibuere Pontifices (2). At spontaneas oblationes sive a defunctis, seu ab eorum cognatis, et amicis factas Ecclesia numquam respuit tamquam communionis testimonium. Labente porro disciplina, voluntariae oblationes in consuetudinem abierunt, quibus heredes obligari par aequumque visum. Quamvis enim Lateranenses Patres pro Sacramentis conferendis, aliisque religiosis officiis persolvendis nihil a Clericis exigi voluerint, pias tamen oblationum consuetudines a fidelibus servari jubent (3).

Porro si quis extra paroeciale coemeterium sepeliatur, paroeciae *quarta funeraria*, sive *canonica* debetur, i. e. oblationum portio, quas defunctus Ecclesiae, in qua locum dormitionis delegit, quovis nomine reliquerit (4). Id inde factum, quod ea Ecclesia, quae ministerium praebuit Sacramentorum, digna est, quae oblationum partem pro laborum levamine consequatur. Isthaec autem portio, licet *quartae* nomine designetur, pro locorum diversitate diversa ratione censetur, et alibi *tertia* est, alibi *quarta*, alibi dimidia (5). Eam

(1) *Cap.* Animarum 1. *eod. in VI.*
(2) *Cap.* Non satis 8. *Cap.* Cum in Ecclesia 9. *de Simon.* e ꝫ.
(3) *Cap.* Ad Apostolicam 42. *eod.*
(4) *Cap.* Non instituta 1. *h. t.* e ꝫ.
(5) *Cap.* Certificari 9. *eod.*

ex obventionibus omnibus tam funerariis, quam quibuscumque, et quomodocumque, etiam ad certos usus relictis deduci jussit in Concilio Viennensi Clemens V., ubi sepulturae locus apud Mendicantes fuerit electus (1). Ceterum quarta amittitur, ubi quadraginta annis cum titulo, aut immemorabili tempore sine titulo praescribatur.

Qui in Ecclesiae communione decedunt, Ecclesiastica sepultura donantur. Quibus autem in vita non communicavimus, iis neque post mortem communicare licebit. Quapropter ab Ecclesiastica sepultura excluduntur I. Ii, qui consulto violentam sibi mortem quovis modo intulerunt (2). II. Excommunicati, i. e. denunciati, quive clericum palam percusserint (3). III. Nominatim interdicti (4). IV. Qui praeceptum annuae confessionis, et Paschalis communionis neglexerunt (5). V. Monachi cum peculio mortui (6). VI. Fures, et latrones, qui in furando, et depraedando occiduntur (7). VII. Mortui in torneamentis (*a*), quibus tamen poscentibus poenitentia non denegatur (8). VIII. Qui monomachia in ipso conflictu decesse-

—

(1) *Clement.* Dudum 2. *eod.*
(2) *Can.* Placuit 12. *C. XIII. q. 5.*
(3) *Extravag. Martini V.* Ad Evitanda.
(4) *Cap.* In nostra 10. *e͞o h. t.*
(5) *Cap.* Omnes 12. *de Poenit. et Remis. e͞o.*
(6) *Cap.* Cum ad monasterium 6. *de Statu Monachor e͞o.*
(7) *Cap.* Fures 2. *de Furt. e͞o.*
(a) Torneamenta *dicebantur feriae, vel nundinae, in quibus milites ex condicto convenire solebant, et ad ostentationem virium suarum temere congredi.*
(8) *Cap.* Felicis 1. *de Torneament. e͞o.*

rint, quique eorum *Patrini* vocantur (1). IX. Raptores, et Ecclesiarum violatores, nisi in extremis positi, poenitentiae remedio postulato, emendationem, vel emendandi securitatem praestiterint (2). X. Usurarii manifesti, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum idoneam praestiterint cautionem (3). Ceterum ubi quis, cui Ecclesiastica sepultura interdictum, in Ecclesiastico coemeterio tumuletur, si discerni queat, exhumari debet, et procul inde jactari (4).

TITULUS XIX.

De Religiosis Domibus.

Praeter Ecclesias, et Monasteria sunt quaedam loca piis usibus destinata, quae *Religiosae Domus* appellari solent. Hujusmodi sunt *Xenodochia* hospitibus excipiendis, *Nosocomia* curandis aegrotis, *Orphanotrophia* orphanis instituendis, *Gerontocomia* senibus alendis, *Ptochotrophia* pauperibus sustentandis comparata. Sub paganis Principibus nullae fuerunt religiosae domus ad pauperes, et hospites excipiendos, atque aegrotos curandos. Ubi autem Christianis pax illuxit, cum in Oriente, tum in Occidente certatim ipsi in id opus incubuerunt; et omnibus ferme Monasteriis

---

(1) *Conc. Trid. sess. XXV. cap. 19.*
(2) *Cap.* Super eo 2. *De Raptorib.* e ꝗ.
(3) *Cap.* Quamquam 2. *de Usur. in VI.*
(4) *Cap.* Sacris 12. *e ꝗ h. t.*

et Canonicorum, et Monachorum, atque omnibus Episcoporum aedibus hospitales domus adjunctae.

Loca caritatis operibus destinata vel *religiosa* sunt, vel *profana*. Illa ex plurimorum sententia Episcopi auctoritate constructa sunt; haec sine illius auctoritate aedificata (1). Nobis vero *Religiosa* dicuntur, quae a Clericis administrantur; profana vero, quae laici procurant (2). Cujuscumque generis hujusmodi aedes sint, ex veteri disciplina Episcoporum jurisdictioni suberant (3). Quare Justinianus edixit, ut, si locorum piorum administratores a fundatoribus non forent designati, ab Episcopis constituerentur (4). Quin Episcopis potestatem fecit expellendi administratores ab ipsis fundatoribus delectos (5), et jus dicendi in officiales, ubi de administratione convenirentur (6). At labente tempore loca pia partim sub Regum protectione posita (7), partim privilegiis Pontificum cum subnixa (8) Episcoporum potestate fuerunt exemta.

Ex deminuta Episcoporum per exemtiones potestate, locorum piorum disciplina passim collapsa, et eorum bona in proprios administratorum usus conversa. Ea de causa, quae deinceps celebrata sunt Concilia, rem in pristinum statum restituere

---

(1) *Cap.* Ad haec. 4. *eod.*
(2) *Concordat. cap. V.*
(3) *Conc. Chalced. can. 8.*
(4) *L. 42. §. 9. l. 46. §. 3. C. de Episc. et Cleric.*
(5) *D. l. 46. §. 3.*
(6) *Nov. 123. c. 13.*
(7) *Concil. Ticinens. an. 850. Can. 16.*
(8) *Clement.* Quia contingit 2. *de Relig. Domib.*

sategerunt. Et Patres quidem Viennenses statuerunt, ut, si locorum piorum Rectores ignavius in administratione se gererent, Episcopi non exemtos propria, exemtos vero Apostolica auctoritate ad munus suum explendum compellerent (1). Patres vero Tridentini, renovato Concilii Viennensis canone, Episcopis potestatem fecere, tamquam Sedis Apostolicae delegatis, *in casibus ab jure concessis* loca pia omnia invisendi, *iis exceptis*, *quae sub Regum immediata protectione sunt* (2). Tum illud edixerunt, ut locorum piorum administratores Ordinariis rationes quotannis redderent, sive clerici ipsi forent, seu laici; nisi secus in fundatione cautum. Quod si vel ex consuetudine, vel ex privilegio, vel ex loci statuto aliis rationes reddi oporteat, cum iis et Ordinarios adesse voluerunt (3).

Isthaec Tridentina decreta apud nos non fuerunt recepta. Quapropter de locorum piorum administratione inter Secularem, et Ecclesiasticam potestatem pleraeque subortae sunt controversiae, quae in pactis inter Benedictum XIV. et Carolum III. conventis fuerunt compositae, jure certo constituto. Itaque discrimen positum inter loca pia, quae sub *immediata Regum protectione* (a) sunt, quae a clericis, quaeque a laicis gubernan-

—

(1) *D. Clement. 2.*
(2) *Conc. Trid. Sess. XXV. de Ref. cap. 8.*
(3) *Trid. d. Sess. XXV. de Ref. cap. 9.*
(a) *Sub* immediata Regum protectione *esse dicuntur loca, quae vel Regiae sunt fundationis, aut dotationis, vel in Regiam protectionem ex fundatorum voluntate fuerunt recepta.*

tur. Quae sub immediata Regum protectione sunt posita, ab Episcopi potestate, et visitatione in spiritualibus, et in temporalibus fuerunt exemta. Loca pia a Clericis administrata Episcopali jurisdictioni, et visitationi omni ex parte subjecta sunt. Quae postremo a laicis administrantur pia loca, tantum in spiritualibus ab Episcopo visitari placuit. Rationes vero quotannis ab Administratoribus reddi oportere, fuit constitutum, ratiocinatoribus de more electis, queis interesse gratis debeat, qui ab Ordinario ad id fuerit delectus (1).

TITULUS XX.

De Oblationibus.

In praesenti argumento *oblationum* nomine designantur munera, quae ad altare, quaeque extra sacrificium ad Ecclesiam deferebantur. Earum aliae altari pro sacrificio inferebantur, aliae in Episcopi domum, seu in gazophylacium comportabantur; aliae denique pro defunctis, et in reliquis sacris functionibus dabantur. Ad altare deferri mos fuit panem praecipue, et vinum, Eucharistiae scilicet elementa. Non rejiciebantur tamen novae spicae, uvae, et oleum (2). Turpe omnino censebatur, divites sine oblatione Ecclesiam ingressos Eucharistiam sumere, eujus elementa pauper obtulerat (3). Quae vero extra sacrificium fiebant obla-

---

(1) *Concord. cap. V.*
(2) *Can. Apostol. 4.*
(3) *Cyprian. de Oper. et Eleemos.*

tiones, vel Episcopi domum, vel in gazophylacium deferebantur. Id moris ab ipsa Apostolica aetate receptum secundo, et tertio Ecclesiae seculo in omnibus Ecclesiis servabatur. Postremo pro mortuis, in Sacramentis suscipiendis, in Ecclesiarum dedicationibus, et in aliis Ecclesiasticis functionibus frequentes fiebant oblationes, in quibus id unum Ecclesiasticae regulae cautum voluerunt, ut clerici per exactiones, et pignora avaritiam, et turpe lucrum non sequerentur (1).

Hisce oblationibus Ecclesiastica res prioribus seculis stetit. Lapsu temporis, Eucharistica communione rarius accepta, rariores oblationes evaserunt. Quare Concilium Matisconense II. edixit, ut fideles singulis diebus Dominicis panem, et vinum ad altare deferrent (2). Sed a primaeva morum sanctitate dilapsi Christiani loco panis et vini denarios obtulerunt, ex quibus Missarum honoraria originem ducunt. Quidquid autem hujusce rei sit, illud certum est, oblationes, quae ad altare fiebant, necessitate quadam fuisse contentas; quae vero extra altare fieri consueverunt, spontaneas omnino fuisse, licet lapsu temporis in pias evaserint consuetudines. Sane post seculum X. paroeciarum bonis, ipsisque decimis in laicos, monachos, et canonicos maximam partem translatis, cum Clericis nihil esset, unde se exhiberent, illud factum oportuit, ut piae offerendi consuetudines in necessitatem converterentur. Hinc Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. et *pra-*

---

(1) Tertull. *Apolog. 39.* Augustin., *serm. L. de Div. Conc. Carthagin. IV. can. 93.*

(2) *Concil. Matiscon. II. can. 4.*

vas exactiones prohibuit, et *pias consuetudines* observari praecepit, facta Episcopis potestate eos compescendi, qui hujusmodi consuetudines abolere contenderent (1). Ceterum oblationes omnes ob Christianorum curam Parochis demandatam ad Ecclesiam Paroecialem pertinent (2); nisi contraria offerentium voluntas, aut privilegia, vel recepti mores secus statuant.

TITULUS XXI.

De Decimis, et Primitiis.

Decimam fructuum partem, quos ex terra, et pecude percipiebant Judaei, Levitis ex lege praestare jubebantur. Huic praestationi *Decimarum* nomen factum. Decimas autem instar tributi a Deo indictas censet cum plerisque Franc. Buddeus (3), licet non desint, qui decimarum originem ex veteri Patriarcharum more arcessant, qui decimam spoliorum, aut rerum suarum partem Deo ex voto offerre solebant (4). Utcumque id sit, veteres Ecclesiae Patres decimas jure divino deberi inde deduxerunt, quod ex Christi praecepto Christianorum justitia plenior esse debeat justitia Scribarum, et Pharisaeorum (5); in quam sententiam

(1) *Cap.* Ad audientiam 42. *e* ꝫ *de Simon.*
(2) *Cap.* Pastoralis 9. *De his quae fiunt a Prael. sin. cons. Capit.*
(3) Buddeus *Hist. vet. Testam. p. 1. sect. 3.*
(4) *Genes. XIV. et XXVII.*
(5) Origen. *Hom. IX. in Num.* Augustin. *Comment. in ps. 146.* Hieron. *cap. II. in Malach.*

quae sequuta sunt Concilia, et Pontifices passim iverunt.

Decimae jure novo decimam partem continent, quae ex omnibus fructibus rerum seu mobilium, seu immobilium, et ex quacumque honesta negotiatione detrahitur (1). Ea pars per pactiones, et receptos mores ad minorem quantitatem reduci potest. Decimae autem vel *praediales* sunt, vel *personales*, vel *mixtae*. Praediales ex fructibus praediorum detrahuntur sive rustica sint praedia, seu urbana (2). Personales ex propria arte, vel professione deducuntur (3). Mixtae denique debentur ex fructibus, qui ex praediis, et industria proveniunt; cujusmodi sunt, quos ex gregibus, et armentis industria nostra percipimus (4). Personales porro, mixtaeque decimae in eo a praedialibus differunt, quod praediales praestantur parochiis, quarum in finibus praedia sunt posita (5) sine impensarum deductione (6); personales, deductis expensis, illi Ecclesiae redduntur, in qua percipiuntur Sacramenta (7).

Licet vero jus decimas percipiendi inter spiritualia censeatur, *res tamen, quae nomine decimarum dantur, corporales sunt, et possunt in usum quorumlibet cedere, et ad laicos etiam pervenire*, ut ait S. Thomas (8). Hinc medio

---

(1) *Cap.* Non est 21. *h. t. e*[illegible].
(2) *Cap.* Ex parte 21. *eod.*
(3) *Cap.* Ad Apostolicae 20. *eod.*
(4) *Cap.* Pervenit 5. *eod.*
(5) *Cap.* Quoniam 13. *eod.*
(6) *Cap.* Cum homines 7. *eod.*
(7) *Cap.* Ad Apostolicae 20. *eod.*
(8) S. Thomas *II. q. 86. art. 3. Cap.* Pastoralis. 28. *eod.*

aevo per Occidentem jure feudi laicis decimae cesserunt, *infeudatae* propterea nuncupatae. Hujusmodi decimae fortasse aetate Caroli Martelli primum invaluerunt in Gallia in angustis Imperii, et Sacerdotii rebus. Tum ipsi Episcopi militibus decimas concesserunt, quo adversus invasores eorum patrocinio defenderentur. Nec defuere Antistites, qui decimarum concessione suos consanguineos locupletarunt, de quo maximopere queritur Gregorius VII. apud Gratianum (1). Isthaec bona in laicos translata *Ecclesiae*, et *Altaria* audierunt; quae et in commercio fuerunt, et ad heredes delata (2). Cum autem ab Ecclesiasticis regulis alienum videretur, decimas a laicis possideri, earum restitutionem veluti per cuniculos adgressi sunt Ecclesiae Antistites. Quare in Concilio Bituricensi cautum, ut, qui laici *Ecclesias* possidebant, nihil potestatis in presbyteros haberent (3). Tum Tolosani Patres tertiam decimarum partem una cum primitiis relinqui presbyteris jusserunt (4). Et Patribus Abrincatensibus placuit, ut laici decimas jure hereditario possessas idoneo clerico concederent ea lege, qua, eo mortuo, ad Ecclesiam devolverentur (5). Postremo Alexander III. in Concilio Lateranensi III. lata lege vetuit, ne laici in laicos decimas transferrent; et *si quis eas receperit, et Ecclesiae non reddiderit, Christiana*

---

(1) *Can.* Pervenit 3. *C. XVI. q.* 7.
(2) *Pet. de Marca Not. in can. VII. Conc. Claromont.*
(3) *Conc. Bituric. can.* 21.
(4) *Conc. Tolos. can.* 11.
(5) *Conc. Abrincatens. can.* 6.

sepultura privaretur (1). Haec autem tanti non fuerunt, ut praedam e laicorum manibus extorserint. Itaque e re Ecclesiastica visum, decimas a laicis ante Concilium Lateranense III. in feudum acceptas licite ab eis possideri (2). Quod si de ea vetustate non constet, temporis immemorabilis possessionem Interpretes satis esse arbitrantur (3). Hujusmodi decimae in commercio tamquam bona patrimonialia non esse, edixit Gregorius IX. (4).

Porro non modo laicis decimae cesserunt, sed et Monachis, et Canonicis. Id autem factum Pontificum, et Episcoporum auctoritate, quo Monastica disciplina reparari, et communis clericorum vita promoveri posset. Sed major decimarum pars Monachis fuit addicta, ubi laici moratiores decimas abdicare jussi eas Monachis, et Canonicis coenobitis, quorum prae clericis singularibus sanctior disciplina videbatur, restituere maluerunt. Licet vero grave id Episcopis foret ob Ecclesiarum paroecialium inopiam; tamen e re Ecclesiastica putarunt, a Monachis et Canonicis decimas potius detineri, quam a laicis. Illud tantum voluerunt, ut sine adsensu Episcopi, vel Romani Pontificis Monachi, et Canonici a laicis Ecclesias, et decimas non acciperent (5). Id tamen Ecclesiis paroecialibus nihil profuit. Ubi enim moribus invaluit, ut in *Ecclesiarum*, et *Altarium* translatione prae-

---

(1) *Cap.* Prohibemus 19. *eꝫ. h. t.*
(2) *Cap.* Statuta 2. §. 3. *eod. in. VI.*
(3) Canis. *ad tit. de Decim. cap. 13.*
(4) *Cap.* Interdicimus 35. *eꝫ. eod.*
(5) *Conc. Roman. an. 1078. can. 9. Conc. Melphit. an. 1079. can. 2.*

ter annuum censum certa pecunia Episcopis penderetur (*a*), facile Episcopi transferendis Ecclesiis, ac decimis adsensi sunt.

Jam vero laicis, monachis, et Canonicis in decimarum partem vocatis, *novales*, et *minutae* decimae Ecclesiis parochialibus proprio veluti jure fuerunt addictae. *Novales* decimae ex agro *novali* praestantur. Ager novalis licet apud Ictos sit terra praecisa, quae anno cessat, vel sylva, quae, arboribus extirpatis, ad cultum redigitur; tamen auctore Innocentio III. ille dicitur, *qui de novo ad culturam redactus est, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit* (1). Latiori notione interpretes nomine *novalium* agros cultos quoque contineri ajunt, qui nova cultura novos, nec antea editos fructus ferunt (2). *Minutae* autem decimae vocantur, quae ex minoribus fructibus veluti leguminibus, oleribus, aliisque hujusmodi proveniunt. *Novales* non secus ac *minutae* decimae ad Ecclesiam paroecialem pertinent; licet laici, monachi, aut Canonici ab immemorabili decimas ex iis agris exegerint. Tantum paroecias excludi placuit, ubi qui alias per-

—

(a) *Isthaec pensio Episcopis soluta* Altarium redemtio *fuit appellata. Videsis* Petr. de Marca *in can. VII. Conc. Claromont. Hujusmodi altarium redemtiones veluti simoniacam pravitatem redolentes in Conc. Claromontano sub Urbano II. fuerunt damnatae annuo censu, veluti legitimo, relicto, Can.* Quaesitum 4. *C. I. Q. 3. quo de jure Sacerdotii in translatas Ecclesias constaret.* Thomassin. *P. III. lib. I. cap. 18.*

(1) *Cap.* Quid per novale 21. *e:: de Verb. signif.*

(2) *Espen P. II. tit. XXXIII. cap. 6.*

cipiunt decimas, ex privilegio novales sibi deberi probaverint (1).

Ad solutionem praedialium decimarum coguntur omnes, qui praedia possident, non exceptis ipsis Judaeis (2): decimarum enim onus praediis inhaeret. Hinc locatores, vel conductores *ad firmam* decimas solvere oportere, nisi specialiter ab ipsarum praestatione sint exemti, rescripsit Innocentius III. (3). Ipsi clerici, qui curam animarum non exercent, quique a clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas praestare jubentur (4); quemadmodum et Monachi, qui non pascunt oves, sed pascuntur, ut ait Hieronymus (5). Ceterum si sponte decimas Christiani non persolverint, per excommunicationem ad eas pendendas cogi voluere Pontifices (6). Et Tridentinis Patribus placuit, excommunicari eos, qui decimas aut subtrahunt, aut impediunt, nec ab eo crimine absolvi, nisi restitutione integra peracta: quae Tridentina sanctio apud nos non fuit recepta (7). Quidquid autem hujusce rei sit, in decimarum solutione recepti mores, et Regni leges servari debent (8).

Jure communi a decimarum solutione neminem excusari placuit. Non desunt tamen species, in

---

(1) *Cap.* Cum contingat 29. *eod. h. t.*
(2) *Cap.* De terris 16. *eod.*
(3) *Cap.* A nobis 24. *eod.*
(4) *Cap.* Novum 2. *eod.*
(5) Hieronym. *ad Heliodor. ep. I.*
(6) *Cap.* Pervenit 5. *eod. h. t.*
(7) *Trident. sess. XXV. de Reform. cap. 12.*
(8) *Cap.* Ad Apostolicae 20. *h. t.*

quibus a decimis praestandis immunis quis esse potest. Ita quadragenali praescriptione potest quis ab impetitione Episcopi de decimis solvendis se tueri, uti Mauritano Episcopo rescripsit Alexander III. (1). Idem Pontifex ratam esse jussit compositionem circa decimas de Episcopi assensu initam (2). Postremo Romani Pontifices privilegio a decimis praestandis immunes esse possumus (3). Sane Paschalis II. monachos, et clericos coenobitas a decimis immunes fecit (4). Id privilegium, ubi latifundiis aucti sunt monachi, restrinxit Hadrianus IV., atque solis Fratribus Cisterciensis Ordinis, Templariis, et Hospitalariis *decimas laborum suorum*, quos propriis manibus colebant, indulsit; ceteris tantum novalium agrorum decimas remisit, quos propriis manibus, vel sumtibus exercebant (5). Verum cum Cistercienses Fratres privilegium ad eos quoque agros extenderent, quos aut conducebant, aut locabant, Innocentius III. edixit, ut quae praedia post Concilium Lateranense IV. adquirerent, etsi propriis manibus forent exculta, decimationi subjacerent (6): quod et de Templariis, atque Hospitalariis intelligi voluit (7).

Quod ad *primitias* attinet, earum nomine primi fructus, qui e terra proveniunt, designantur.

—

(1) Ad aures 6. *de Praescript.* ext.
(2) *Cap.* Statuimus 2. *de Transaction.* ext.
(3) *Cap.* Dilecti 8. ext. *h. t.*
(4) *Can.* Decimas 47. *C. XVI. q. 1.*
(5) *Cap.* Ex parte 10. ext. *h. t.*
(6) *Cap.* Licet. 11. *eod.*
(7) *Cap.* Nuper 34. *eod.*

Earum institutum vetustissimum apud gentes plerasque omnes receptum. Judaei ex Divino praecepto primitias offerebant; et Christiani primitiarum usum sub Ecclesiae incunabula agnoverunt. At praeter novas spicas, et uvas nihil ad altare offerri licuit primitiarum nomine (1); cetera Episcopi domum deferebantur (2). Primitiis autem gratias Creatori agebant Christiani (3); iisque etiam sportula *sportulantibus fratribus* dabatur. Primitiae diu multumque in Ecclesia steterunt. Hodie ad eas exigendas recepti mores servari debent (4).

TITULUS XXII.

De Rerum Ecclesiasticarum Usu, et Administratione.

Explorati juris est, rerum Ecclesiasticarum dominium esse penes Ecclesiam, quas in religionis usum impendi, necesse est. Quapropter secundum ipsam offerentium mentem ex bonis Ecclesiasticis et clerici alendi, et pauperes sublevandi, et Ecclesiae aut reparandae, aut construendae, et sacra supellex aut comparanda, aut adservanda: quae sane omnia ad religionis cultum referuntur.

Et clericos quidem ex altari vivere oportet, *quia dignus est operarius cibo suo* (5). Qui enim ab

---

(1) *Can. Apost. 5. Can. 37. Cod. African.*
(2) *Can. Apost. 6.*
(3) *d. can. 6. Apostol.*
(4) S. Thomas *II. II. q. 8. art. 4.*
(5) Matth. *X. 5.*

altari, et sacrificiis recedere non debent, sed die ac nocte caelestibus, ac spiritualibus rebus inservire, ut ait Cyprianus (1), eos de altari vivere necesse omnino est. Quod autem clericis pro alimentis ab Ecclesia datur, non laboris merces est, sed vitae subsidium, ne a sacro ministerio avocentur. Quod gratis est acceptum, gratis dari debet; et qui in sacro ministerio suscipiuntur labores, extra commercium sunt. Quapropter *non redditur substentatio necessitatis a populo, quasi merces illis, qui sibi in caritate serviunt, sed tamquam stipendium, quo, ut possint laborare, pascantur* (2). Alimenta autem frugalia clericis debentur, non ea, quae seculi pompam, et opulentiam demonstrent. Ad rem Patres Carthaginienses: *Episcopus mensam, ac victum pauperem habeat, et dignitatis suae auctoritatem fide, et vitae meritis quaerat.* Haec autem adeo vera sunt, ut clerici, qui aliunde habent unde vivant, ab altari exhiberi frustra postulent: quod canones Apostolici (3), et Antiocheni (4) diserte edicunt.

Post clericos ex Ecclesiae bonis pauperibus alimenta, quoad ejus fieri potest, praeberi oportere, Patres passim inculcant: *Episcopus habeat rerum Ecclesiae potestatem; ut eas in omnes egentes dispenset*, ajunt Antiocheni Patres (5). Hinc Ju-

—

(1) Cyprian. *Epist. 1.*
(2) Augustin. *lib. de Pastor. Cap. 2.*
(3) *Can. Apostol. 41.*
(4) *Conc. Antioch. can. 25.*
(5) *Conc. Antioch. d. can. 25.*

*

lianus Pomerius nihil aliud esse res Ecclesiae proclamat, *nisi vota fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum* (1).

Postremo ad Ecclesias seu aedificandas, seu restituendas, easque sacra supellectile exornandas Ecclesiastica bona impendi quoque debent. Certe Hieronymo laudantur et qui templa construunt splendidiora, et qui ornatiorem supellectilem offerunt (2). Ceterum illud maximopere caveri debet, ne, dum Ecclesiae auro, gemmisque praefulgent, pauperes egestate sordescant.

In commune Ecclesiae aerarium Ecclesiastici reditus collati olim Episcopi auctoritate administrabantur (3). Labente tempore, cum Episcopi a verbi praedicatione, et Sacramentorum administratione per id opus maxime abstraherentur, presbyteri, et diaconi in sollicitudinis partem fuerunt vocati (4). Quare in concilio Carthaginiensi IV. cautum, *ut Episcopus gubernationem viduarum, pupillorum, ac peregrinorum non per seipsum, sed per Archipresbyterum, aut Archidiaconum agat* (5). Ecclesiasticis porro reditibus fidelium largitate amplificatis, Patribus Chalcedonensibus placuit, ut *Episcopi ex proprio clero Oeconomum haberent, ut nec sine testibus sit Ecclesiae administratio, nec res ejus dissipentur,*

(1) Julian. Pomer. *de Vit. contemplat. lib. 11. cap. 9.*
(2) Hieron. *ep. 8. ad Demetriad.*
(3) *Conc. Gangrens. can. 7. Conc. Antioch. can. 24.*
(4) *Conc. Antioch. can. 25.*
(5) *Conc. Carthag. IV. can. 17.*

et dedecus sacerdotio inuratur (1). Quod si Episcopi, aut Metropolitae ab Oeconomis creandis cessarent, Metropolita, aut Patriarcha eorum negligentiam supplebat (2). Sed Oeconomi post beneficiorum institutionem ab usu recesserunt.

Ita quidem se res habebant, ubi Episcopus in vivis agebat. At, vacante Episcopali Sede, Ecclesiae regimen, atque Ecclesiastici aerarii procuratio ad Presbyterium devolvebatur olim. Post Concilii Chalcedonensis tempora Oeconomis Ecclesiastici reditus commissi (3); licet in Occidente interdum Visitatores Episcopi quemadmodum vacanti Ecclesiae accurrebant, et electionis Episcopi satagebant; ita Ecclesiasticum aerarium procurabant (4). Quicumque vero foret, vacante sede, Ecclesiasticorum bonorum administrator, ea in pios usus secundum Ecclesiasticas regulas impendebat: si quid supererat, Episcopo successori reservabat. Secundum eam disciplinam voluerunt Tridentini Patres, ut, mortuo Episcopo, unus, pluresve Oeconomi per Capitulum constituantur, qui et res Ecclesiae vacantis administrent, et suae administrationis Episcopo successori reddant rationes (5).

Porro cum vacantium Ecclesiarum bona mediis seculis passim diriperentur, Reges religionis, atque Ecclesiasticae disciplinae vindices earum custodiam susceperunt. Inde sensim invaluit, ut Ecclesiarum

---

(1) *Conc. Chalced. can. 26.*
(2) *Conc. Nicaen. 11. can. 11.*
(3) *Conc. Chalced. can. 25.*
(4) Gregor. M. *Epist. lib. 11. 78.*
(5) *Conc. Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 16.*

vacantium bona Regio aerario addicta in publicam utilitatem erogarentur. Id jus ordinarium in plerisque provinciis evasit, ex quo Regalibus juribus initium factum. Isthaec regalia a feudis fortasse derivata sub Callixto II. firmitatem suam acceperunt. Ea enim tempestate, sublatis per *annulum* et *baculum* investituris, Praelatis concessa sunt feuda, clausula adjecta, ut *facerent*, *quae ex regalibus deberent*. Ita reditus feudorum, vacante Ecclesia, in Regium aerarium illati; quibus deinde accesserunt ceteri Ecclesiarum, et beneficiorum vacantium proventus, ubi vel ex fundatione, vel ex antiqua consuetudine hujusmodi jus quaesitum (1).

In Regno Siciliae sub Northmannico, et Svevico Principatu custodia Ecclesiarum vacantium ad Reges pertinebat: *omnes* enim *Ecclesiae in manu et protectione regia* esse declaravit Rogerius (2). Sed Regno ad Andegavenses delato, Ecclesiarum vacantium custodia Presbyterio cessit. Licet vero Ecclesiarum ubique vacantium reditus per *collectores*, et *subcollectores* Apostolicos in Pontificium aerarium inferrentur, exceptis tantum Ecclesiis Regiae nominationis, et beneficiis juris patronatus Regii, et feudalis; tamen in Regno Neapolitano Ecclesiarum, et beneficiorum vacantium reditus per Regios Oeconomos collecti in montem Frumentarium deferebantur. At ex novis-

(1) *Cap.* Ex diligenti *de Jur. Patronat. in 1. Collect. Cap.* Generali 15. *de Elect. in VI.*

(2) *Const.* Pervenit *de Administr. rer. Eccl. post. mort. Prael.*

sima Conventione inter Pium VII. Summum Pontificem, et Ferdinandum I. Regni utriusque Siciliae Regem inita, suppresso monte frumentario, ad Dioecesanas Administrationes delata est procuratio spoliorum, ac redituum mensarum Episcopalium, Abbatiarum, aliorumque beneficiorum vacantium; ut tamen fructus Ecclesiarum vacantium in pios usus erogari debeant, servata tantum futuro Episcopo eorum medietate.

TITULUS XXIII.

De Rebus Ecclesiae alienandis, vel non.

Alienationis nomine quaelibet dominii translatio quovis titulo facta designatur; ut venditio, donatio, permutatio, emphyteusis, ususfructus eo vocabulo contineatur. Quin et alienationes quoque censentur locationes ad longum tempus (1), transactiones (2), servorum manumissiones (3), pignora, hypothecae (4), et quidquid denique res, reditusque Ecclesiasticos imminuat. Alienationes autem rerum Ecclesiasticarum vetitae fuerunt qua Ecclesiasticis regulis (5), qua legibus Principum (6); ut et ipsis Romanis Pontificibus in res Ecclesiae

—

(1) *Duaren. lib. VII. cap. 9. de Sacr. Minister.*
(2) *Cap.* Veniens 8. *e* ꝫ. *de Transact.*
(3) *Cap.* Consensus 3. *e* ꝫ. *h. t.*
(4) *L. 22. Cod. de Sacrosanct. Eccles.*
(5) *Conc. Carthag. V. can. 4.*
(6) *Novell. VII. cap. 1.*

id juris non sit (1); et Episcopi sacramento in ordinatione de rebus Ecclesiae non alienandis diserte caveant (2).

Quamvis autem per Ecclesiasticas regulas quaevis alienatio vetita fuerit; non desunt tamen species, in quibus, necessitate, vel utilitate suadente, canones cessare placuit. Ita si captivi redimendi, aut pauperes alendi (3), si aes alienum dissolvendum (4), res Ecclesiae recte alienantur. Quin et quae res diutius detentae corrumpuntur (5), res immobiles exigui pretii, veluti terrulae, vineolae (6) alienari non prohibentur.

Ex legitima causa factae alienationes ratae non habentur, nisi accedant sollemnitates ab Ecclesiasticis regulis praescriptae. Olim quidem rerum Ecclesiasticarum alienatio in synodo provinciali definiebatur (7). Tum, rarioribus factis conciliis, *Cleri* consensum, et subscriptionem in alienationibus adhiberi oportuit (8). Nomine *Cleri* post Canonicorum institutionem Capitulum Cathedrale designatur; in Monasteriis vero conventus Monachorum. Sed Pauli II. Extravaganti constitutione *alienationes rerum Ecclesiasticarum, inconsulto Romano Pontifice*, fieri prohibentur. Tantum

---

(1) *Can.* Non. liceat. 20. *C. XII.*
(2) *Cap.* Ut super 8. *h. t.*
(3) *Can.* Aurum 14. *Can.* Gloria 15. *C. XII. q. 2.*
(4) *Clement. 1. h. t. Cap. 1. de Pignorib.*
(5) *Extrav.* Ambitiosae *h. t.*
(6) *Can.* Terrulas *C. XII. q. 2.*
(7) *Can.* Placuit 51. *C. XII. q. 2.*
(8) *Can.* Terrulas 53. *ead.*

terrulae minus utiles, res, quae servando servari non possunt, et quae in emphyteusin dari consueverunt, unius Episcopi auctoritate recte alienantur.

TITULUS XXIV.

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Origine, et Natura.

Vox *Beneficium* origine sua in Jure Feudali praedium stipendii loco pro servitio militari datum designavit, quod initio precarium, deinde vitalitium fuit, ac lapsu temporis perpetuum, atque hereditarium evasit. In rem Ecclesiasticam adscita beneficia principio praedia fuerunt clericis pro officio in usumfructum concessa, quae, fructuario mortuo, ad Ecclesiam redibant. Deinde, ubi certi reditus singulis ministeriis fuerunt addicti, beneficia, mortuo clerico, non amplius ad Ecclesiae aerarium revertuntur, sed clerico in officium successori dantur. Non absimili sane pacto *praebendae* vocabulum ex re militari in Ecclesiasticam traductum primum sportulas quotidianas fratribus sportulantibus dari consuetas denotavit; postea reditus designavit Canonicorum officiis perpetuo addictos. Ceterum licet haec vera sint, non omnes tamen Canonici praebendarii sunt. Potest enim quis canonicus esse, et vacaturam praebendam exspectare (1).

Jam vero Beneficium Ecclesiasticum nihil aliud

—

(1) *Videsis Cujac. ad tit. Decretal. de Praeb. et Dignit.*

est, nisi jus perpetuum percipiendi certos reditus propter officium auctoritate Ecclesiae institutum. Et perpetuum quidem i. e. vitalitium debet esse beneficium; ex primaeva enim disciplina clerici certae Ecclesiae in perpetuum adscribebantur, unde alimenta accipiebant. Ab ea Ecclesia nisi ex justa causa ab Episcopo cognita in aliam transire prohibebantur. Itaque perpetuum cum esset ministerium, perpetuum jus ad proventus fuisse oportuit. Hinc apparet, *laicales cappellanias*, et *legata pia* a beneficiis longe distare, quippe quae ex voluntate pendent concedentis.

Jus autem istud clerico datur propter officium Ecclesiasticum, quo in sua Ecclesia perpetuo fungitur. Sane Innocentius III. beneficia instituta ait, ut in Ecclesiis *servitium jugiter impendatur* (1): quod Tridentini Patres confirmarunt (2). Hinc intelligitur, a veritate eos aberrare, qui nomine *officii*, propter quod datur beneficium, designari putant horarum Canonicarum recitationem in vulgato illo: *Beneficium propter officium.*

Beneficium porro non censetur, nisi Episcopi auctoritate res profana in titulum beneficii erigatur. Id apud omnes Canonici Juris Interpretes satis compertum est. Quamobrem *legata pia*, et *laicales Cappellaniae* inter beneficia Ecclesiastica non censentur, etsi ex fundatoris voluntate in perpetuum concedantur. Proinde ipsi patroni pos-

---

(1) *Innoc. III. lib. I. Epist. 82.*
(2) *Trid. Sess. XXI. de Ref. cap. 5.*

sunt bona administrare, et officio fungi per idoneas personas, nisi fundator ipse bonorum administratorem Cappellanum ipsum designaverit.

Jam vero beneficia alia *majora* sunt, alia *minora*. Majora dicuntur, quibus primi in Ecclesia gradus adhaerent cum animarum cura, et jurisdictione. Hujusmodi sunt Papatus, Episcopatus, Cardinalatus, Abbatiae, quibus quasi Episcopalis inest jurisdictio. Illud autem apud Canonistas receptum videtur, majora beneficia nomine beneficiorum non contineri. At minora beneficia dicuntur reliqua omnia infra Abbatias, inter quae censentur monastica officia, quibus certi reditus sunt addicti. Hujusmodi sunt dignitates (*a*), personatus (*b*), beneficia curata, et cetera omnia, quae *simplicia* appellantur. Ceterum illud exploratum est, in rebus *odiosis* nomine beneficiorum dignitates et personatus non contineri. Majora porro beneficia unus Rom. Pontifex erigit, novasque dignitates in Ecclesiis excitat, et regularia beneficia

---

(a) *Dignitas in praesenti argumento beneficium designat, cui jurisdictio adhaeret. Melioribus Ecclesiae seculis omnia officia Ecclesiastica merae delegationes fuerunt omni jurisdictione destitutae. Deinceps singulis officiis et certi reditus addicti sunt, et delegata potestas evasit ordinaria ob Episcoporum negligentiam. Sed hodie dignitates omnes nomine tantum, et nobiliori sede in Choro distinguuntur sine ulla jurisdictione*, ventosae, *et* inanes *propterea appellatae*. Fagnan. *ad Cap.* Adhaec e ꝗ. *de Praeb.*

(b) Personatus *quandoque* dignitatem *sonat, cap. 8. de Rescript. Cap. 8. de Constitut. Sed speciatim beneficium designat, cui praeeminentia sine jurisdictione inest, veluti nobilior in Choro sedes.*

in secularia convertit (1). Minora beneficia Episcopus ex justa causa instituit.

Praeterea beneficia quaedam *curata* sunt, quaedam *simplicia*. Illis cura animarum adhaeret, cujusmodi est paroecia; his animarum cura non inest, cujus generis censentur praebendae Canonicales, et Cappellaniae sive in Cathedralibus, sive in aliis Ecclesiis fundatae. Illud autem adverti debet, praebendas Canonicales etsi simplicibus beneficiis adnumerentur, tamen in rebus odiosis simplicium beneficiorum nomine non comprehendi, quippe quae ad dignitates maximopere accedunt (2).

Rursus beneficia vel *secularia* sunt, vel *regularia*. Illa secularibus clericis cedunt; haec per monachos administrantur. Hujus generis sunt monastica officia omnia, quibus certi reditus fuerunt adscripti. Ea originem suam a monastica disciplina collapsa deducunt, ubi scilicet *mensa Abbatis* a *mensa communi* disjuncta in causa fuit, quapropter alii monastici officiales partem quisque suam auferret. Ceterum omnia beneficia secularia praesumuntur, nisi contrarium probetur.

Postremo beneficia alia sunt *electiva*, alia *collativa*, alia *patronata*. Electiva per electionem conferuntur; collativa ex collatoris voluntate dantur; patronata ex patronorum praesentatione impertiuntur. Sed de his inferius disputabimus.

---

(1) *Cap.* Sicut unire 8. *de Excess. Praelat. Cap.* Quod translationem 4. *de Offic. Legat.*

(2) *Cap.* Statutum 11. *de Rescript. in VI.*

TITULUS XXV.

De Clericis non residentibus.

Quam olim *adsiduitatem* Alexander III. appellavit (1), ea vulgo *residentia* nuncupatur. Residentia autem nihil aliud est, nisi laboriosa beneficiarii praesentia, qua Ecclesiasticis muneribus explendis ipse incumbit. Ante receptam distinctionem inter beneficia simplicia, et curata, clerici omnes ministerio quisque suo adeo adscribebantur, ut illinc abire nefarium haberetur. Distractis ab ordinatione beneficiis, atque discrimine inter ea admisso, eadem fuit Ecclesiae ratio, eadem mens. Omnia scilicet beneficia ex generali regula Ecclesiastica adsiduitatem requirunt. Cum enim *Ecclesiasticum ministerium expleri debeat, talis ad hoc persona quaeri debet, quae residere in loco, et curam ejus valeat exercere*, uti Concilium Lateranense III. edixit (2). Quae enim ministeria personalem industriam deposcunt, ea per vicariam alterius operam expediri non possunt. *Inter artifices longa differentia est et ingenii, et naturae, et doctrinae, et institutionis*, ait JCtus (3).

Porro seu ob Barbarorum incursiones, seu ob

—

(1) *Cap.* Adhaec 3. *de Praebend.* e ʒ.
(2) *Cap.* Quia nonnulli 3. *de Cleric. non resident.* e ʒ.
(3) *L. 31. ff. de Solution.*

feuda Ecclesiis concessa, seu ob peregrinationes in Palaestinam susceptas, post seculum VI. Episcopis exemplo suo praeeuntibus, clerici suas Ecclesias deseruerunt, vicaria opera in ministerium adscita. Isthaec Ecclesiae clades usque ad seculi XI. exitum stetit. Ea tempestate Romanis Pontificibus placuit, majoribus malis occurrere, dilata minorum curatione. Itaque edixerunt, paroecias, dignitates, personatus, et praebendas canonicales ad residentiam clericos obstringere; de aliis minoribus beneficiis siluerunt (1). Inde porro invaluit, parochos, et canonicos residentiae vinculo obligari, neutiquam vero reliquos inferiores beneficiarios, quorum beneficia *simplicia* fuerunt nuncupata. Receptam sententiam Tridentini Patres tolerasse videntur (2); licet alias edixerint, clericos omnes suis Ecclesiis perpetuo addictos esse oportere (3).

Jam vero qui sine justa causa ab Ecclesiis absunt, certis poenis per Ecclesiasticas regulas subjiciuntur. Ita Antistites, etiamsi Cardinalatus dignitate praefulgeant, a suis Ecclesiis abesse prohibentur, nisi inde eos abstrahat *Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae, aut reipublicae utilitas;* quae causae a Superioribus, et a Romano Pontifice probari debent. Sine causa vero ultra duos, aut tres menses annis singulis abesse non licet, cavendum-

(1) *Cap.* Quia nonnulli 3. *de Cleric. non resident. Cap.* De multa 28. *de Praebend.* e ꝫ.

(2) *Conc. Trid. Sess. IV. de Ref. cap. 4. Sess. XXIV. cap. 7.*

(3) *Trid. Sess. XXIII. de Ref. cap. 16.*

que, ne absentia in dies festos Ecclesiae sollemniores incidat. Si Antistites secus fecerint, praeter peccati mortalis reatum, quo illigantur, fructibus absentiae tempore carebunt, qui vel fabricae, vel pauperum levamento cedent. Minores vero Clerici ratione beneficii sui ad residentiam obstricti, nisi ex justis causis ab Ordinario cognoscendis, abesse prohibentur. Si quis autem ex justa causa abfuerit, vicarius idoneus ab Episcopo regendae Ecclesiae cum debita mercedis assignatione constituetur. Quod si post trimestre spatium, per quod venia indulgeri plerumque solet, abfuerint, et per edictum citati contumaces fuerint, Ordinarius per censuras Ecclesiasticas, per sequestrationem, et subtractionem fructuum usque ad privationem, et per alia juris remedia residere compellet (1). Ceterum licet ex justa causa absentibus non auferantur fructus; distributiones tamen quotidianae subtrahuntur. Quod si vero Clericus vel morbo, vel senio fuerit conflictatus, vel evidenti Ecclesiae necessitate, aut utilitate excusetur, distributiones quotidianae ei non denegantur (2).

(1) *Trid. Sess. XXII. de Ref. cap. 1.*
(2) *Cap. 1. de Cleric. Aegrot. e* ij.

TITULUS XXVI.

De Vetita Beneficiorum Multitudine.

Clericum duabus simul Ecclesiis adscribi prohibuerunt Chalcedonenses Patres (1). Id enim, *negotiationis, et turpis lucri proprium, et ab Ecclesiastica consuetudine prorsus alienum* (2). Disjunctis porro ab ordinatione beneficiis, eadem disciplina stetit, tum quia *unum officium vix valeat aliquis implere* (3), tum quia *noxium, ac turpissimum est, singula ministeria totidem personis non committere*, ut ait Gregorius M. (4). Huc illud accedit, quod qui plura beneficia contra Ecclesiasticas regulas aucupatur, stipendia sibi vindicat plurimorum (5), et numerum ministrorum minuit (6). Hinc intelligi facile potest, beneficiorum coacervationem non tam a jure positivo, quam ab ipsa eorum natura fuisse interdictam.

Lapsa post seculum VIII. in Occidente disciplina, clerici, turpi quaestu abrepti, pluribus beneficiis incubuerunt. Id porro malum adeo altas radices egit, ut Petrus Blesensis memoriae prodi-

---

(1) *Conc. Chalced. can. 10.*
(2) *Conc. Nicaen. II. can. 15.*
(3) *Cap.* Consuetudinem 1. *de Consuet. in VI.*
(4) *Can.* Singula 1. *Dist. 89.*
(5) *Cap.* Quia nonnulli 3. *de Cleric. non resid.* e ✠.
(6) *Extrav.* Execrabilis *de Praeb. in Commun.*

derit, plures sua aetate fuisse Clericos, qui *vix Ecclesiarum suarum numerum cognoscerent*; et Alexander III. abusum hujusmodi in Gallicana Ecclesia prae *multitudine delinquentium* emendari non posse, pronunciaverit (1). In hoc statu rerum Patres Concilii Lateranensis, quo aliqua praeberent morbo remedia, duas dignitates, aut duas paroeciales Ecclesias simul obtineri prohibuerunt: si secus factum, accipientem secundo beneficio, dantem potestate conferendi spoliarunt (2). Tum Alexander III. clericum duobus beneficiis auctum, uno, quod potius optaret, contentum esse jussit (3). Sed severiori lege in ea re pro delinquentium multitudine opus erat. Itaque Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. edixit, ut si quis *receperit aliquod beneficium curam habens animarum adnexam, si prius tale beneficium habebat, eo foret ipso jure privatus: quod si illud retinere contenderit, etiam alio spoliaretur.* Idem in personatibus, et dignitatibus servari jussit; ut in eadem Ecclesia nemo plures dignitates, aut personatus habere praesumeret, etiamsi curam animarum adnexam non haberent (4). Id et ad duas praebendas in eadem Ecclesia extendit, quarum primam per alterius collationem ipso jure vacare voluit (5).

Cum vero Pontifices de dignitatibus, persona-

---

(1) *Cap.* Cum non ignores 15. *de Praeb.* e ℥.
(2) *Cap.* Quia nonnulli 3. *de Cleric. non resident.*
(3) *Cap.* Praeterea 14. *de Praeb.* e ℥.
(4) *Cap.* De multa 28. *eod.* e ℥.
(5) *Cap.* Litteras 9. *de Concess. praebend.* e ℥.

tibus, paroeciis, ac praebendis tantum edixissent, reliquis minoribus beneficiis silentio praeteritis, Interpretes passim omnes inde deduxerunt, praeter paroecias, dignitates, personatus, ac praebendas canonicales, reliqua beneficia adsiduitatem non requirere, et posse ea simul, vel cum aliquo ex illis per Pontifices memoratis coacervari (1). Discrimen porro statuerunt inter beneficia *compatibilia*, quae dicunt, et *incompatibilia*, seu *singularia*, et *coacervata*. Rursus singularia alia *primi generis*, i. e. ratione tituli, alia *secundi generis* h. e. ratione detentionis, dixerunt. Singularia primi generis ipso jure per alterius acceptionem vacant. Hujusmodi censentur duo beneficia curata, duae dignitates, duo personatus, quaeque *uniformia in eodem tecto* dicuntur, veluti duo Canonicatus, duae Cappellaniae. Ex singularibus secundi generis beneficiarius, quod malit, optabit; secus altero per superiorem spoliabitur. Hujus generis sunt duo Canonicatus in diversis Ecclesiis, duo *beneficia difformia* sub eodem tecto.

Sed post ipsa Lateranensia decreta beneficiorum coacervatio altiores egit radices. Romani Pontifices ea in re indulgentiores (*a*), *commendarum* (*b*),

---

(1) *Cap. ult. de Cleric. non resid. e* ꝫ.

(a) *In cap. de* De multa 28. *Praeb. e* ꝫ. circa sublimes, et litteratas personas, quae majoribus beneficiis sunt honorandae, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam dispensari posse *edicitur. Ex hac clausula Lateranensi canoni adjecta frequentiores dispensationes ipsam Ecclesiasticam regulam perdiderunt.*

(b) *Qui plura beneficia aucupabantur, unum titulo, al-*

ac *vicariarum* (a) titulis beneficiorum quorumvis coacervationem maximis promoverunt incrementis. Quare Tridentini Patres malum radicitus eradicare cupientes, renovato canone Concilii Lateranensis IV., plures paroecias, aut alia singularia beneficia obtineri vetuerunt, titulis *unionis ad vitam*, aut *commendae perpetuae* rejectis (1). Tum unum tantum Ecclesiasticum beneficium singulis conferri jubent. Quod quidem si ad vitam beneficiarii sustentandam non sufficiat, aliud simplex beneficium coacervari sinunt, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat (2). Ita Tridentini Patres ipsa simplicia beneficia *incompatibilia* pronunciarunt, modo alendo clerico satis forent. Sed legem vicere mores, et plura beneficia singularia, et compatibilia passim obtinentur.

Antequam hinc abeamus, illud adverti debet, vacationem primi beneficii ipso jure a Concilio Lateranensi IV. poenae nomine sancitam locum habere non quidem post collationem, sed post pa-

---

terum sub commendatione perpetua petebant. In ea re Ecclesiasticas regulas obtendebant, quae a commendationibus vacantium Ecclesiarum non abhorrebant. Sed canonicae commendationes temporariae erant, et ab iis longe diversae, quas clericorum avaritia excogitaverat.

(a) *Qui aliquam dignitatem, vel paroeciam habebat, aliam petebat vicariatus tituto. Nimirum secundam paroeciam alteri in titulum concedi curabat, parvo proventu addicto; quam sub* vicariatus *titulo ipse possidebat, opimis fructibus sibi reservatis.*

(1) *Conc. Trid. Sess. VII. de Ref. cap. 4.*

(2) *Conc. Trid. Sess. XXXV. de Ref: cap. 17.*

cificam possessionem (1). Pacifica autem censetur possessio, ubi non fuerit nec naturaliter, nec civiliter turbata; nec beneficiarii fraude factum sit, quominus vel vi, vel jure judicioque certaretur. Porro pacificam alterius beneficii possessionem nacto beneficiario duos menses dantur, quibus primum beneficium impune retinere queat. Id eo factum, ut intra eas temporis inducias intelligi possit, an quis possessionem turbare velit. Post elapsum bimestre spatium si beneficiarius utrumque beneficium *incompatibile primi generis* retinere audeat, utrumque ipso jure amittet, et ad sacros ordines suscipiendos, non secus ac ad quodlibet beneficium Ecclesiasticum, adspirare prohibebitur (2).

TITULUS XXVII.

De Beneficiorum Collatione.

Collatio in praesenti argumento nihil aliud est, nisi vacantis beneficii concessio a legitima potestate facta. Ea Episcopalis jurisdictionis potissima pars est. Antiquitus per ordinationem exercebatur, qua clerici Ecclesiae addicti sportulas inde accipiebant. Beneficiis porro ab ordinatione separatis, eorum collatio inter actus voluntariae jurisdictionis haberi coepit, quae et ab Episcopis confirmatis post coe-

(1) *Clem. ult. de Praeb. Extrav.* Execrabilis *eod. in Comm.*

(2) *d. Extravag.* Execrabilis.

ptam possessionem, et extra dioecesim recte exercetur (1).

Collationes beneficiorum symbolis ex more seculi expediebantur olim. Ea erant aunulus, baculus, osculum pacis, panis, liber, sigillum, birretum, et alia id genus. Hinc collatio, utpote quae feudalis investiturae speciem praeseferret, *investitura* a Pontificibus appellatur (2). Sed usus scripturae passim receptus symbola e medio sustulit. Hodie igitur collatio per litteras expeditur.

Beneficiorum collatio ad Episcopum Dioecesanum pertinet, cui et Ecclesiae ministerium, et Ecclesiastici aerarii procuratio incumbit (3). Idem jus et Praelatis inferioribus in proprio territorio competit, qui quasi Episcopali jurisdictione utuntur (4). Collatio autem antiquitus sine Ecclesiastici senatus consilio non fiebat (5). Ex quo beneficia seorsum ab ordinatione conferri coeperunt, collatio varias vices subiit, et alibi solus Episcopus, alibi solum Canonicorum collegium (6), alibi Episcopus, et Canonici Ecclesiae Cathedralis praebendas conferunt. Ubi autem Episcopus cum Canonicis praebendas confert, vel ut unus e collegio censetur (7), vel uti collegii praeses, vel uti ae-

—

(1) *L.* 2. *ff. de Offic. Procons.*

(2) *Cap.* 4. *et cap.* 9. *de Concess. Praeb. e* ȣ.

(3) *Can.* Omnes Balisicae 10. *C. XVI. q.* 7. *Can.* Decretum 3. *et seqq. C. X. q.* 1.

(4) *Cap.* Cum ad nostram 7. *de Instit. e* ȣ.

(5) *Cap.* Novit 4. *de his, quae fiunt a Prael. sine cons. Capit. e* ȣ.

(6) *Cap.* Cum Ecclesia 31. *de Elect. et Elect. pot.*

(7) *Cap.* Postulatis 1?. *de Concess. Praeb. e* ȣ.

quali cum collegio praeditus potestate. Sed hac in re Ecclesiarum mores servari debent.

Cum vero ex longa Ecclesiarum viduitate mala plurima in rem Ecclesiasticam invaderent, certa praestitui tempora placuit, intra quorum spatia conferri beneficia oporteret. Quare dignitates, paroecias, et reliqua minora beneficia intra sex menses conferenda edixit Concilium Lateranense III. (1). Episcopatibus vero, ac majoribus dignitatibus Regularibus conferendis tres menses praestituit Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. (2); quamvis, si collatio, elapso eo tempore, in virum idoneum incidat, toleratur (3). Semestre autem tempus non a die vacationis, sed a die notitiae ipsius idem Innocentius voluit computari; quod non currere jussit, ubi justo impedimento, quominus conferat, collator detineatur (4). Quod si collatores intra definita tempora a conferendis beneficiis cessaverint, ea vice jure conferendi excidunt, et collatio ad proximos superiores devolvitur usque ad Romanum Pontificem (5). Ubi vero beneficium fuerit Regulare, negligentia collatoris exemti ab Episcopo supplebitur tamquam Sedis Apostolicae delegato (6).

Post acceptas collationis litteras, easque rite perlectas beneficiarius, obedientia suo Episcopo

—

(1) *Cap.* Nulla 2. *eod.*
(2) *Cap.* Ne pro defectu 4. *de Elect. e* ꝟ.
(3) *Cap.* Litteras 4. *de Suppl. neglig. Praelat. e* ꝟ.
(4) *Cap.* Quia diversitatem 5. *De Concess. praeb. e* ꝟ.
(5) *Cap.* Nulla 2. *eod.*
(6) *Clement. un. de Suppl. neglig. Praelat.*

jurejurando promissa, et, ubi de praebendae collatione agitur, fidei professione coram Episcopo, et Canonicorum collegio facta (1), in *corporalem institutionem* immittetur. Capta porro quasi possessione, beneficiarius et fructus suos facit, et officio fungitur, quod beneficio cohaeret. Ubi vero in quasi possessione per anni spatium fuerit, in jus vocatus possidere perget, quousque lis fuerit definita: post triennalem autem pacificam possessionem litium ambages non expavescet. Ceterum nemini in possessionem beneficii sine Dioecesani Episcopi auctoritate introire licet, uti Heliensi Episcopo rescripsit Innocentius III., nisi forte in indulgentia Romani Pontificis id contineatur expressum (2).

TITULUS XXVIII.

De Mandatis, Reservationibus, et Praeventionibus Apostolicis.

Mandata de providendo sunt Pontificum litterae, quibus collatores jubentur alicui clerico beneficium conferre. Earum aliae scribebantur pro vacantibus beneficiis, aliae pro vacaturis, quae *gratiae expectativae* dicebantur. Primus fortasse Hadrianus IV. mandatis de providendo initium fecit, quorum usum, qui secuti sunt Pontifices, latius

(1) *Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 12.*
(2) *Cap.* Pastoralis 19. *de Privileg. e g.*

produxerunt. In mandatis autem expediendis non alia mens Pontificibus fuit, quam bene de Ecclesia meritis clericis consulere, quibus, unde viverent, aliunde non esset. Quare Lucius III. rescripsit, Pontificio mandato de providendo obsequi Episcopum non oportere, ubi clericus aliud habeat beneficium, e quo possit sustentari (1).

Jam vero hujusmodi mandata nil prorsus aliud fuerunt, nisi litterae commendatitiae ad Episcopos datae. Iis principio utpote rarioribus parebant Episcopi. At ubi mandata excreverunt, et pro omnibus clericis seu ditioribus, seu pauperibus data sunt, iis interdum obtemperare detrectarunt collatores. Quapropter Pontificibus preces in praecepta convertere placuit. Inde porro triplicis generis litterae emerserunt, *monitoriae*, *praeceptoriae*, et *executoriae*. Monitoriis commendationes; *praeceptoriis* jussa continebantur; quibus si non parerent collatores, exsecutor dabatur, qui et beneficium ex mandato conferri jubebat, et contumaces adjectis poenis coërcebat. Sed lapsu temporis una epistola rem omnem absolvebant Pontifices, et delectus executor, cessante collatore, beneficium conferebat.

Mandatorum usu recepto, Pontificiae subinde reservationes prodierunt. *Reservata* autem beneficia ab *affectis* longe distant. *Affecta* enim ea dicuntur, quibus conferendis se Pontifex immiscuit: qui actus ob reverentiam ipsi debitam pro ea vice tantum locum habet. Reservatorum vero

---

(1) *Cap.* Cum teneantur 6. *eꝫ. de Praeb.*

collatio ad ipsum perpetuo pertinet. Reservationum aliae continentur in Corpore Juris, quae opus non habent, ut a novo Pontifice suscitentur; aliae in Regulis Cancellariae potissimum comprehenduntur.

In Corpore Juris reservata primum a Clemente IV. fuerunt beneficia vacantia per mortem *in Curia* (1). Hanc reservationem Bonifacius VIII. ad locos Curiae finitimos extendit, i. e., duorum dierum itinere distantes, si ad Curiam accedentes, aut inde abeuntes intra quadragesimum ab ipsa lapidem decesserint (2). Eamdem reservationem extendit, ac declaravit Joannes XXII. (3). Quin et Clemens V. collationi Pontificiae perpetuo addixit Episcopatus in regionibus Infidelium clero, populoque carentes (4). Itidem in Corpore Juris continetur reservatio beneficiorum vacantium per vetitam eorum multitudinem. Ejus reservationis auctor Joannes XXII. (5), qui omnes Ecclesias Cathedrales, Monasteria, Regularium Ecclesias, et reliqua omnia beneficia, quae in Curia vacarent per depositionem, privationem, beneficiarii cessionem, electionem rescissam, aut postulationem rejectam, translationem, consecrationem, et benedictionem Romano Pontifici perpetuo reservavit. Iis porro adjecit beneficia Cardinalium, Legatorum, Officialium Curiae, Cappellanorum commensalium Pon-

(1) *Cap.* Licet 2. *de Praeb. in VI.*
(2) *Cap.* Praesente 34. *eod. in VI.*
(3) *Extrav.* Ex debito *de Elect. in Commun.*
(4) *Clement.* In plerisque *eod.*
(5) *Extrav.* Execrabilis 4. §. Quae omnia *de Praeb.*

tificis, quocumque loco mortem obirent (1). Denique a Benedicto XII. reservata Sedi Apostolicae fuerunt beneficia omnia vacantia per adsecutionem Episcopatus (2). Illud autem exploratum est, reservationes a Joanne XXII., et Benedicto XII. factas temporarias fuisse, et ad ipsorum vitam restrictas, quae deinde in Regulas Cancellariae conjectae, et a singulis Pontificibus altero post electionem die confirmatae evaserunt perpetuae.

In prima itaque Cancellariae regula repetuntur reservationes Benedicti XII., et Joannis XXII. comprehensae in cap. *Ad regimen*, et in cap. *Execrabilis;* et praeterea reservantur beneficia contra decreta Concilii Tridentini collata.

In secunda Regula reservantur Cathedrales omnes, et Monasteria virorum, quorum reditus excedunt summam ducentorum florenorum aureorum, et beneficia omnia, quae vacaverint, Sede Episcopali, aut alterius collatoris vacante.

In tertia reservantur primariae omnes dignitates post Pontificales, et beneficia Cardinalium, eorumque qui tum ipsi Pontifici, tum Cardinalibus familiares fuerunt, quamvis tales esse desierint.

In quarta Regula Pontificiae reservationis decernuntur omnia beneficia Collectorum, et Subcollectorum fructuum Camerae Apostolicae.

In quinta omnia beneficia Curialium in itinere, dum Curia transfertur, decedentium.

In sexta beneficia Cubiculariorum etiam honorariorum, et Cursorum Pontificis.

---

(1) *Extrav.* Ad regimen 19. *eod. in Commun.*
(2) *Extrav.* Ex debito 4. *de Elect. in Commun.*

In septima reservantur omnia beneficia Ecclesiarum S. Joannis Lateranensis, S. Petri, et S. Mariae Majoris, quaeque in titulis Cardinalium vacaverint, ipsis absentibus.

In octava Pontificiae collationi addicuntur beneficia omnia, quae vacaverint in octo mensibus, nempe Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri, Novembri. Illud autem adverti debet, in gratiam eorum Antistitum, qui in Ecclesiis suis resident, eo quidem tempore, quo resident, sex mensium collationem ipsis remitti. Itaque alternis mensibus collationem ipsi cum Pontifice dividunt; nisi de iis beneficiis agatur, quae ex aliis causis Papae reservantur. Isthaec autem alternativa ad collatores Episcopis inferiores non pertinet. Ceterum Cardinales Episcopi *indultum*; h. e., facultatem ex Pontificis venia habent conferendi beneficia etiam in mensibus Papae reservatis, dummodo ea facultate non utantur ad conferenda beneficia duplici reservationis, vel affectionis vinculo reservata, vel affecta (1).

Ex novissima Conventione inita inter Pium VII. et Ferdinandum I. beneficia simplicia liberae collationis, quae et fundationis, et erectionis in titulum Ecclesiasticum praerogativa gaudent, pro mensium diversitate et a Romano Pontifice, et ab Episcopis conferentur. Scilicet a mense Januario usque ad Junium ad Rom. Pontificem collatio pertinet; a mense autem Julio usque ad Decembrem spectat ad Episcopos. In hunc censum veniunt

—

(1) Clemens VIII. Const. *Quamvis.*

Pontificiae praeventiones nullius roboris essent, nisi a morte beneficiarii id tempus foret elapsum, ut ea facile Pontifici potuerit innotescere. Quod si nuncius *cursum ambitiosum*, quem dicunt, susceperit, i. e. ante beneficiarii mortem Romanum iter fuerit aggressus, regulae locum etiam esse placuit. Ceterùm ubi divisio mensium inter Pontificem, et Episcopos servatur, praeventio cessat.

Jam vero cum ex Apostolicis mandatis, ac reservationibus detrimentum Ecclesiis inferretur, Patres Basileenses reservationes omnes e medio sustulerunt, iis exceptis, quae in Corpore Juris continentur, quaeque Pontifices in suo temporali dominio constituerent. Basileense decretum non ubique fuit receptum. Quare Tridentini Patres, ad quos ea res delata, mandatis de providendo, et *mentalibus* reservationibus prorsus abolitis, ceteras reservationes, ac praeventiones de suo antiquo statu non dimoverunt. Concilii Tridentini scita apud nos fuerunt recepta, et reservationes in pristina jura discesserunt. Quin post ipsum Tridentinum Concilium novae reservationes prodierunt. Ita reservata sunt beneficia, quae ob crimen haeresis vacaverint (1); beneficia *in confidentiam* (*a*) recepta (2); paroeciae, quae per *concursum* non

---

(1) *Bulla Pii V.* Ex Apostolatus officio.

(a) In confidentiam, *seu* contracta fiducia, *dicitur collatum beneficium, quod clericus alterius favore a collatore accipit ea lege, ut illud post certum tempus alteri resignet, aut ut pensionem sive in pecunia, seu in fructibus inde solvat.*

(2) *Bulla*, Romanum Pontificem.

fuerint collatae ex forma a Concilio Tridentino praescripta (1); quaeque vacaverint ex resignatione contra regulam a Gregorio XIII. constitutam (2). Ceterum illud explorati juris videtur, in Apostolicis reservationibus beneficia juris patronatus seu laici, seu mixti non contineri.

TITULUS XXIX.

De Commendis.

Commendarum origo ex vacantibus Ecclesiis originem ducit. Ecclesiae vacantes vicinioribus episcopis commendabantur olim, qui eas et visitarent, et regerent, et electionem procurarent. Hujusmodi Episcopi *Visitatores*, *Interventores*, atque *Intercessores* nuncupati, electione peracta, a suo munere temporario discedebant. Accessit et alia commendarum origo. Saracenis Italiam infestis armis pessumdantibus, cum pleraeque Ecclesiae pastore forent destitutae, Leo IV. id e re Ecclesiastica censuit, ut aliis commendarentur, ne vacuae, et ministerii expertes jacerent. Ita factum, ut quis plures Ecclesias obtineret, alteram in titulum, alteram in commendam (3). Ab hisce commendationibus Ecclesiasticae regulae non abhorrebant. Lapsu temporis commendationes Ecclesiae detrimento cesserunt.

---

(1) *Bulla* In conferendis.
(2) *Bulla* Humano vix judicio.
(3) *Can.* Qui plures 3. *C. XXI. q. 1.*

Et principio quidem Ecclesiae, et praesertim Monesteria Militibus commendata, ut eorum reditus loco stipendiorum essent, qui propterea *Abbicomites* fuerunt appellati. Tum seculo XIII. paroeciarum, et aliorum inferiorum incompatibilium beneficiorum commendationes excogitatae, ut qui beneficia in titulum haberent, per perpetuam aliorum commendationem Ecclesiasticis illuderent regulis, quibus Ecclesiarum coacervatio interdicta.

Jam vero licet Synodus Lugdunensis, injectis Episcoporum licentiae fraenis, vix ad sex menses ex justa causa commendari Ecclesias permisisset (1); commendationes tamen Romanorum Pontificum auctoritate mirum in modum excreverunt ob clericorum avaritiam. Clemens V. primus omnium ipsas Episcopales Sedes, et Abbatias in perpetuas commendationes tradidit, quas deinde, ubi a pertinaci morbo convaluit, maximopere exhorruit, atque abolere sategit (2). Qui porro secuti sunt Pontifices in commendas maximopere fuerunt effusi; ut Paulus II. postridie ordinationis suae a Cardinali Portuensi monitus, ne latius foedam labem serpere sineret, nominatim in suo Consistorio pronunciaverit, a Callisto III. ad suum Pontificatum, decem circiter annorum spatio, plus quam quingenta Monasteria fuisse clericis secularibus commendata (3). Monasteria autem plerumque Cardinalibus commendabantur, quo dilapsa Monastica disciplina restitueretur.

(1) *Cap.* Nemo 15. *de Elect. in VI.*
(2) *Extrav.* Ex supernae 2. *de Praeb. in Commun.*
(3) *Raynal. ad an. 1464.*

Porro isthaec degenerum commendarum calamitas usque ad Concilii Tridentini tempora Ecclesias, et Monasteria divexavit. Quare Tridentini Patres, quo Ecclesiasticae rei, quoad ejus fieri poterat, consulerent, commendas omnes, quae beneficiorum coacervationi inservirent, prorsus aboleverunt (1). Tum Romanum Pontificem exorarunt, ut Monasteriis commendatis, quae suos haberent conventus, Regulares ejusdem Ordinis personas praeficeret: quae vero in posterum vacarent, unis Regularibus non conferri jusserunt. De iis porro Monasteriis, quae *Capita ordinum* nuncupantur, ita edixerunt, ut, si qui forent commendatarii, intra sex menses aut Religioni illorum ordinum per sollemnem professionem se addicerent, aut iis cederent (2). Isthaec Tridentina scita gliscentem commendarum licentiam radicitus evellissent, nisi eorum sententia aliorsum fuisset detorta. Scilicet interpretes eo rem deduxerunt, quasi Patres Tridentini commendas in posterum tolerassent, iis tantum exceptis, quae ad monasteria Ordinum Capita spectarent.

Ceterum, utcumque haec fuerint commendae, ex moribus praesentibus a beneficiis nisi nominis sono non differunt. Ita commendae incompatibilitatem inducunt (3), et possunt cum beneficiis titulatis permutari (4). Quod si in commendam detur beneficium curam animarum habens, in commenda-

—

(1) *Trid. Sess. VII. de Ref. cap. 4.*
(2) *Trid. sess. XXV. de Regular. cap. 21.*
(3) *Conc. Trid. Sess. VII. de Ref. cap. 4.*
(4) *Cap. ult. de Rer. Permut. e ꝗ.*

tario requiritur aetas annorum viginti quinque, et presbyteratus ordo intra annum a die collationis (1). Qui commendatarii liberam habent proventuum administrationem, suis subditis dant dimissorias ad ordines, et, licet secundum Ecclesiastias regulas non habeant monachorum correctionem, ubi tamen in Ecclesia resideant, atque Ordinarii Praelati absint, jurisdictionem in Monachos exercere possunt. Illud autem certi juris est, per hujusmodi commendationes fiduciarias regularium beneficiorum regularem statum non mutari; quemadmodum divisio provinciarum non mutat statum Ecclesiarum (2).

TITULUS XXX.

De Jure Patronatus.

Jus illud, quod quibusdam competit, nominandi clericum, eumque ad Episcopum deducendi, ut ab eo ad vacans beneficium instituatur, ante V. seculum in Ecclesia inauditum. Primi fortasse Patres Arausicani an. 441. Episcopo, qui Ecclesiam in proprio fundo extra suam dioecesim aedificavit, nominatim dederunt jus praesentandi clericum, qui a Dioecesano Episcopo ordinaretur (3). Provocandae porro Christianorum liberalitatis causa

(1) *Cap.* Licet canon. 14. *de Elect. in VI.*
(2) *Cap.* Pervenit 1. *Dist. 101.*
(3) *Conc. Arausican. I. can. 10.*

idem jus ad laicos fuit productum. Principio autem receptum jus illud in Oratoriis, quae in agris, et villis permissum est aedificari (1). Tum ab Oratoriis ad paroecias extensum (2), et non modo fundatoribus, sed etiam eorum heredibus concessum. Ceterum in antiquis canonibus pro patronis *fundatores*, et pro jure patronatus *jus fundationis* nominatur. Quapropter si apud Gregorium Concilio Cabilonensi, et Triburiensi vocabulum illud adscribitur, id Raymundo debetur.

Jam vero Jus patronatus nihil aliud est, quam jus singulare illis concessum, qui fundaverunt, dotaverunt, aut instauraverunt loca sacra, vel religiosa, quod in certis honoribus, oneribus, et commodis consistit (*a*). Aliud est jus patronatus *Laicum*, aliud *Ecclesiasticum*, aliud *Mixtum*. *Laicum* jus patronatus dicitur, quod proprii patrimonii ratione, vel jure fundationis, aut successionis competit, sive laicus quis sit, sive clericus. *Ecclesiasticum* autem appellatur, quod ad Cle-

(1) *Concil. Agathens. an. 505. can. 14.*

(2) *Conc. Aurelian. IV. an. 541. can. 7. et 33.*

(a) *Qui ante seculum V. jus patronatus in Ecclesia jam invaluisse contendunt, a vero maximopere aberrant. Neque* jus *illud* processionis, *quod ex can.* Frigentius *et can.* Piae mentis *XV. q. 7. nonnulli deducunt, cum jure patronatus quidquam commune habet, uti pluribus demonstravit Franc. Florens in Tract. de Antiq. Jur. Patronat. Illud tantum certo affirmari potest, aliquando nomina fundatorum Ecclesiis, Oratoriis, Xenodochiis fuisse adscripta. Ita in Romana Ecclesia habetur Titulus Equitii, Titulus Pastoris, Titulus Damasi, Titulus Vestinae, Titulus Lucinae.*

ricos pertinet ratione Ecclesiae, monasterii, vel beneficii, cui jus patronatus est adnexum: praesumitur enim ex Ecclesiae bonis fundatio peracta. *Mixtum* jus patronatus ex laico, et Ecclesiastico coalescit, et ab utroque, quod optimum in unoquoque est, mutuatur; veluti si ex duobus patronis alter jus suum in Ecclesiam transtulerit (1). Ceterum ubi dubitetur, utrum jus patronatus laicum sit, an Ecclesiasticum, pro laico respondendum censemus, tum quia clerici nihil in bonis habere praesumuntur; tum quia veteres canones, ubi de jure Fundatorum agunt, laicos tantum memorant. Laicum autem jus patronatus in *reale*, ac *personale* dividitur. Reale rei, seu fundo inhaeret; ut qui fundi dominus est, jus patronatus exerceat. *Personale* personae, i. e. patrono, ejusque liberis, heredibus, propinquis, gentilibus competit. Ceterum si jus patronatus fundo adhaereat, et feudum in Ecclesiam transferatur, jus illud ex laico Ecclesiasticum non evadit. Ecclesia enim in ea specie laici patroni vices fungitur.

Jus patronatus adquiritur fundatione, seu constructione, dotatione, et praescriptione. Per fundationem patronatus ab eo adquiritur, qui praedium ad Ecclesiam extruendam praebuerit (2). Per constructionem adquiritur jus patronatus, ubi quis Ecclesiam suis sumtibus aedificavit (3). Per donationem denique quis patronus evadit, ubi con-

---

(1) *L.* Si communem 10. *ff. Quemad. servit. amitt.*
(2) *Can.* Abbatem 4. *C. XVIII. q.* 2.
(3) *Can.* Monasterium 32. *C. XVI. q.* 7.

*

gruam, dotem alendis clericis, et sacro ministerio peragendo tribuerit. Hinc illud Glossae:

Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.

Itaque si tres ad Ecclesiam constituendam concurrerunt, ut unus aream praebuerit, alter construxerit, tertius dotem dederit, omnes jus patronatus habebunt. Ceterum si quis, deperdita, vel alienata Ecclesiae dote, aliam ipsi constituerit, jus patronatus adquiret (1). Nec quidquam refert, utrum jus patronatus in ipsa fundatione, aut dotatione fuerit nominatim exceptum (2): quae enim tacite insunt, quamvis non caveantur, praestari debent (3).

Illud porro disceptari solet, an exspiret jus patronatus, destructa Ecclesia, et, an restituatur, eadem redintegrata. Sane quamvis restituta Ecclesia eadem esse videatur, potissimum quia, manente fundamento, et solo, superficies sequitur soli conditionem (4); quod et de navi proditum est, manente carina (5); tamen contraria sententia Interpretibus placuit, qui jus patronatus ea in specie extinctum censent (6). Ceterum si hoc jus ex constructione sola competat patrono, destructa Ecclesia, illud evanescere putaverim; quod secus se habere dixerim, ubi jus patronatus ex constru-

(1) *Trid. Sess. XIV. de Ref. cap. 12. et Sess. XXV. cap. 9.*
(2) *Cap.* Significavit 41. *de Testib. e* ?.
(3) *L. 4. ff. de Reb. credit. Cap.* Nobis 28. *h. t.*
(4) *L. pen. ff. Commun. praedior.*
(5) *L.* Minucius *ff. de Rei vindic.*
(6) *L.* Qui res §. 8. *ff. de Solut. L.* Inter 81. §. 5. *ff. de Verb. Oblig.*

ctione simul atque dotatione ortum ducat, quo casu patrono jus suum ex dotatione superstes auferri non debet (1).

Praescriptione quoque jus patronatus adquiritur. Praescriptio autem in praesenti specie satis est quadragenaria, si contra patronum procedat; ubi vero contra Ecclesiam currat, opus est, ut possessio ea temporis diuturnitate firmetur, cujus contraria memoria non exstet (2); quod et Tridentini Patres confirmarunt (3).

Pluribus modis jus patronatus in alios transferri solet. Et primum quidem transfertur cum ipsa re, cui inhaeret, seu plenum, seu utile tantum dominium transferatur. Hinc locato *ad firmam* fundo, firmarius jure patronatus recte utetur (4); et pignori re obligata, jus in creditorem transit (5). Quod si jus patronatus fundo dotali adhaereat, praesentatio ad maritum ut civilem dominum dotis pertinet. Eodem sane pacto praesentationem a bonae fidei possessore factam, etiam evicto post clerici institutionem fundo, ratam haberi jussit Alexander III. (6). Praeterea permutatione jus patronatus transferri potest; modo tamen legitima Superioris auctoritas Ecclesiae permutationi non desit (7). Quin et religioso loco, vel Ecclesiae,

---

(1) *Jan. a Costa ad Cap.* Quoniam 3. *h. t.*
(2) *Cap.* Episcopum 1. *de Praescript. in VI.*
(3) *Conc. Trid. Sess. XXV. de Ref. cap. 9.*
(4) *Cap.* Ex litteris 7. *h. t.*
(5) *Cap.* Cum Bertoldus 18. *de Sent. et Re Judic.*
(6) *Cap.* Consultationibus 19. *eod.*
(7) *Cap.* Cum olim 7. *de Rer. Permut. eod.*

ipso Episcopo inconsulto, jus patronatus donari posse, rescripsit Bonifacius VIII. (1): ex quo saniores Interpretes colligunt, privatae personae sine Episcopi consensu frustra donari: licet secus edixisse videatur Alexander III. (2). Denique ad juris universi successores sive testamentarios, seu legitimos, seu civiles, seu Praetorios jus patronatus laicum deferri placuit. Ceterum cum jus patronatus sit individuum, in solidum in heredes transit, etiamsi ex disparibus partibus ad hereditatem vocentur. Ii autem ad praesentationem in stirpes, non in capita admittentur (3). Quovis autem modo jus patronatus transferatur, illud sedulo caveri debet, ne quid ejus intuitu solvatur. Quod enim spirituali est adnexum, si pretio aestimatur, simoniaca labe inficitur (4).

Tempus praesentationi praestitutum laicis quidem patronis est quatuor mensium cum potestate variandi, i. e. alium offerendi (5). Patronis vero Ecclesiasticis, qui jure variandi carent, sex menses praefiniuntur a die cognitae vacationis (6). Quod si plures fuerint patroni, qui collegium constituant, praesentatio instar electionis erit, atque per collegium rite peragetur. At si pluribus seorsum jus patronatus competat, singuli clericum pro lubito nominabunt sive instrumentis diversis, seu

---

(1) *Cap. 1. h. t. in VI.*
(2) *Cap.* Ex insinuatione 14. *eod. e* ꝫ.
(3) *Clement.* Plures 2. *eod.*
(4) *Cap.* De Jure 16. *eod. e* ꝫ.
(5) *Cap.* Cum propter 27. *cap.* Cum autem 24. *eod.*
(6) *Cap.* Eam rem 22. *Cap.* Pastoralis 29. *eod.*

eodem instrumento diverso tempore subscripto. Ceterum si forte in plures partes se fundatorum vota diviserint, ille praeficietur Ecclesiae, qui majoribus juvatur meritis, et plurimorum eligitur, et adprobatur adsensu, uti edixerunt Patres Lateranenses (1). Quod si paria fuerint patronorum suffragia, Episcopus illum eliget, quem Ecclesiae noverit expedire.

Porro si de patronatu lis oriatur, et intra quatuor menses non fuerit definitum, ad quem ex litigantibus jus illud spectet, licebit Episcopo idoneum clericum instituere (2), qui tamen ab eo patrono, pro quo sententia dicta fuerit, dicis causa praesentetur (3). Id ideo receptum, ne quid detrimenti patrono inferatur, quasi ad ipsius praesentationem clericus instituatur. Praestituta autem tempora non currunt, ubi lis inter patronum, et Episcopum seu de patronatus jure, seu de clerici praesentati qualitatibus instituatur, ne litis obtentu Episcopi patronos suo jure spoliare adnitantur (4). Illud vero explorati juris est, si Episcopus vacanti Ecclesiae sine consensu patroni clericum ordinaverit, ordinationem irritam esse, quod Toletani Patres edixerunt (5).

Praeter clerici praesentationem, quae praecipua et nobilior pars est juris patronatus, plura sunt, quae patronis Ecclesiasticae regulae tribuerunt. Et

—

(1) *Cap.* Quoniam 3. *eod.*
(2) *Cap.* Cum propter 27. *eod.*
(3) *Cap.* Si vero 12. *eod.*
(4) *Vid.* Franc. de Roye *ad cap. 3. h. t.*
(5) *Conc. Tolet. IX. can. 2.*

primum quidem patronis, si egeant, ab Ecclesiis patronatis alimenta debentur secundum regulam a Concilio Toletano IV. praescriptam (1), etiamsi nihil sibi reservarint in tabulis fundationis aut juri praesentandi renunciarint (*a*). Praeterea patronis debetur *honor thuris*, *honor precum*, quo ipsorum nomina in Diptychis descripta in sacris precibus recitantur (2); *honor processionis* (*b*); *honor listrae* (*c*), *sedis*, *sepulturae*, *panis benedicti*, *aquae benedictae*, *osculi pacis*, *et* aliam hujusmodi.

Jam vero jus patronatus quod pluribus modis adquiritur, pluribus quoque modis amittitur. Amittitur itaque jus patronatus renunciatione patroni (3),

—

(1) *Can.* Quicumque 30. *C. XVI. q. 7. Cap.* Nobis 25. *h. t.*

(a) *Id quidem patronis per honorificum esse nemo non videt. Certe* τροφαι δημοσιαι alimenta pubblica *inter honorifica munera recensentur ab Aristotele Rhetor. I. 5. Et in Prytaneo plures alebantur, qui, Reip. opera bene navata, ad egestatem redacti erant. Quin et Decurionibus alimenta decernebantur, qui ob munificentiam erga patriam patrimonium absumserant. Vid. l. 8. ff. de Decurion.*

(2) *Conc. Emerit. can. 19.*

(b) *Honor processionis duobus modis intelligi potest, vel ut quis a clericis in processionem dispositis recipiatur in Ecclesiam; vel ut digniorem locum in publicis processionibus sortiatur. Primi generis honorem sibi vindicarunt nonnulli Episcopi, quo suam jurisdictionem ostentarent. Cap.* Auditis 15. *de Praescript.* eᵹ. *Sed Regibus potissimum is honor in Ecclesia datus.* Greg. Turon. *lib. X. cap. 9.* Anastas. *in Hadrian.*

(c) Listra *est vitta, in qua per totam Ecclesiam circumacta hinc inde pinguntur insignia.*

(3) *Cap.* Cum inter 5. *de Consuetud.* eᵹ.

praescriptione, aut si Ecclesia patronata fuerit penitus collapsa, aut gens, vel familia fundatoris fuerit extincta (1). Quin et patronatus jure spoliatur patronus, si Ecclesiae Rectorem violenter adgrediatur, aut occiderit; si jus patronatus separatim patronus vendiderit (2); si haereticus factus sit (3).

TITULUS XXXI.

De Beneficiorum Unionibus.

Justis ex causis per legitimam potestatem beneficia recte conjunguntur. Hujusmodi unio fieri potest confusione, subjectione, et aequali consociatione. Per confusionem duae, pluresve Ecclesiae in unum veluti corpus ita coalescunt, ut nova Ecclesia utriusque juribus, et privilegiis utatur. Per subjectionem conjunctis Ecclesiis, utraque suum coetum retinet, sed altera principalis evadit, cui altera tanquam filia subjicitur. In hac subjectiva unione Ecclesia subjecta nomen, et dignitatem principalis adipiscitur; ejusque reditibus principali addictis, per vicarium administrari solet. Postremo aequali unione conjunguntur Ecclesiae, quibus suum titulum, gradumque retinentibus idem minister praeficitur. Hac ratione Cathedrales Ecclesiae conjungi plerumque solent.

—

(1) *Cap.* In quibusdam 12. *de Poen. e* ꝸ.
(2) *Conc. Trid. sess. XXV. de Ref. cap. 9.*
(3) *Cap.* Vergentis 10. *et cap.* Excommunicatus 13. *de Haeret. e* ꝸ.

Sine legitima potestate Ecclesiae frustra conjunguntur. Et Romanus quidem Pontifex omnia beneficia auctoritate sua conjungere potest. Cathedralium vero Ecclesiarum conjunctio peculari jure ipsi reservatur: *unire* enim *Episcopatus ad Summum Pontificem pertinere*, rescripsit Caelestinus III. (1). Ad Episcopum porro pertinet inferiorum Ecclesiarum unio, quae intra fines suae dioecesis continentur. Inferiores vero Praelati Ecclesias sibi subjectas unire prohibentur, nisi vel ex Apostolico privilegio, vel ex immemorabili praescriptione id juris sibi quaesiverint. Eas propterea Episcopi ex eorum consensu conjungent (2). Quin nec Vicario Episcopi Ecclesiarum unionem peragere licet sine speciali mandato; nec Capitulum Ecclesias, Sede Episcopali vacante, unire potest, quae ad liberam Episcopi collationem pertinent. Cum enim unio sit alienatio quaedam, quae Episcopalia jura quodammodo minuit, sine Episcopali auctoritate perfici nequit.

Porro beneficiorum unionibus Episcopi operam dabunt, causa cognita, iisque vocatis, quorum interest. Quin et sine consensu Capituli ea res expediri non potest; etiamsi Episcopus in unione perficienda tanquam Sedis Apostolicae delegatum se gerat. Praeterea in unione perficienda opus est consensu patroni, seu laici, seu Ecclesiastici (3). Status enim Ecclesiae immutari nequit, non consen-

—

(1) *Cap.* Sicut unire 8. de *Excess. Praelat.* e ℨ.
(2) *Clement.* Ne in agro 1. §. 6. *de Stat. Monachor.*
(3) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap.* 5.

tiente patrono (1). Falso autem pronunciarunt nonnulli, in unionibus beneficiorum etiam Ecclesiae Rectorem audiri oportere. Cum enim unionis effectus sit in pendenti, quoad ipse vixerit, nihil profecto est, quare ipsius consensus desideretur (2).

Jam vero sine justa causa Ecclesias uniri nefas. Plures autem causae in jure sunt proditae, ex quibus beneficia conjungi queant. Ita si duae Ecclesiae ad duorum presbyterorum sustentationem non sunt satis, eas uniri oportere, edixerunt Pontifices (3). Praeterea si quando in Ecclesiis vicinioribus populus adeo decreverit, ut paucae familiae numerentur, easdem uniri Ecclesiasticae regulae jubent (4). Quin et Ecclesia hostili clade destructa unionis beneficio juvari debet (5). Postremo ob Episcopi caedem Ecclesia spoliatur Sedis Episcopalis praerogativa, et parochiae instar adjungitur viciniori Ecclesiae Cathedrali, uti edixit Gelasius Papa (6).

Ex jure novissimo quaedam in beneficiis uniendis servari oportet. Ita beneficia unius dioecesis, cujuscumque generis ea sint, non possunt uniri beneficiis, monasteriis, aliisve locis piis alterius dioecesis, ne Ecclesiasticus ordo confundatur (7).

—

(1) *Cap.* Suggestum 20. *de Jure patronal.* e ꝟ.
(2) *Clement.* Si una *de Reb. Eccles. non alienand. Conc. Trid. Sess. XXI. de Ref. cap.* 5.
(3) *Can. 49. C. XVI. q. 1.*
(4) *Can.* Et temporis 48. *C. XVI. q. 1.*
(5) *Can.* Postquam 49. *C. XXI. q. 1.*
(6) *Can.* Ita nos 25. *C. XXV. q. 2.*
(7) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. c. 19.*

Praeterea beneficia curata Monasteriis, Dignitatibus, Praebendis, aliisque, simplicibus beneficiis adjungi, vetuerunt Tridentini Patres, ne magis dignum minus digno adnectatur contra regulam juris. Denique non possunt beneficia libera cum quibuscumque beneficiis conjungi etiam simplicibus juris patronatus, ne status beneficiorum turbetur (1).

Quemadmodum justa ex causa Ecclesiae uniuntur; ita easdem justa ex causa dissociari placuit. Sane Ecclesiarum divisionem generatim Ecclesiasticae regulae vetant (2): beneficia enim Ecclesiastica sine deminutione conferri debent. Sed ubi Ecclesiae sive utilitas, seu necessitas suadeat, Ecclesiarum dissociatio non prohibetur (3). Divisio autem ejus auctoritate peragetur, a quo conjunctio expeditur, iis, quorum interest, advocatis. Ubi vero de Ecclesiis conjunctis agitur, facilius eas quidem dissolvi placuit. Quin si conjunctio certa de causa facta sit, cessante causa, Ecclesiae in pristinum statum restituentur.

TITULUS XXXII.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

Pensionis nomine designatur beneficii delibatio, quae beneficiario detracta alteri clerico tribuitur. Pensionum usus in Ecclesia a primis usque tem-

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 9.*
(2) *Cap.* Majoribus 8. *de Praeb.* e §.
(3) *Cap.* Vacante 26. e §. *eod.*

poribus invaluit. Par enim aequumque semper visum, ut clerici pauperes, qui ex justa causa Ecclesiae ministerium non impendunt, ex Ecclesiasticis rebus exhiberentur. Ita Eustachio Pergensi Episcopo, qui, senio ingravescente, Episcopatu se abdicavit, alimenta ex Ecclesiae suae proventibus decreverunt Ephesini Patres (1). Et Patribus Chalcedonensibus placuit, ut tribus Episcopis ab Episcopali Sede dejectis, alimenta ex Ecclesiarum bonis constituerentur (2).

Pensiones, quidquid de earum origine sit, natura sua clericis pauperibus eleemosynae veluti titulo constituuntur. Id et sapientes illi Theologi a Paulo III. de reformanda Ecclesiae disciplina interrogati responderunt, et Pius IV. in Concilio Tridentino confirmavit. Verum utcumque id verum sit, collapsa disciplina, pensiones a primaeva institutione degenerarunt, eaeque et ipsis Antistitibus, et clericis ditioribus passim cesserunt. Inde factum, ut beneficiorum reditus clericis otiosis fuerint addicti, et beneficiariis Ecclesiae servientibus subtracta sint alimenta, sacra supellex fuerit neglecta, et templa collapsa. Haec profecto in causa fuerunt, quapropter in Tridentinis Comitiis *pensiones ad veterem usum Christianum* revocari Patres conclamaverint. Sed res effectu caruit; et adhuc qui Ecclesiae ministerium non impendunt, ad pensiones Ecclesiasticas adrepentes vitam lautiorem vivunt.

—

(1) *Conc. Ephesin. Act. VII.*
(2) *Conc. Chalced. Act. X. XII. et XIV.*

Ceterum ex receptis moribus pensiones nisi ex justa causa, et ab legitima potestate frustra constituuntur. Quidquid autem veteris juris fuerit, ubi beneficiis proprii reditus fuerunt addicti, uni Romano Pontifici pensionum constituendarum potestas cessit. Vetita enim per Patres Turonenses sub Alexandro III. beneficiorum sectione (1), et Episcopis per Patres Lateranenses novos census imponendi potestate ademta (2). Pontificia tantum auctoritate in pensionibus decernendis opus esse videbatur, qua scilicet canones remittuntur. Non prohibetur tamen Episcopus pensiones in iis beneficiis decernere, quae ad liberam ipsius collationem pertinent (3). Illud autem discrimen inter pensiones ab Episcopis, et pensiones a Romanis Pontificibus constitutas intercedit, quod illae beneficiarium tantum afficiunt, ejusque propterea morte exspirant, hae vero ipsi beneficio, ejusque proventibus haerent, et, mortuo beneficiario, manent.

Pensiones porro ita sunt decerpendae, ut beneficiario supersit, unde se alat, et beneficii onera sustineat. Quapropter in Concilio Tridentino cautum, ne Cathedrales Ecclesiae, quae ducatorum mille, aut paroeciales, quae centum ducatorum fructus non excederent, pensionibus subjicerentur (4). Beneficiis vero, ex quibus pensiones delibantur, vix tertia, aut etiam dimidia fructuum

—

(1) *Cap.* Majoribus 8. *de Praeb. e* ☧.
(2) *Cap.* Prohibemus 7. *de Censib. e* ☧.
(3) Garzias *de Benef. p. 1. cap. 5.*
(4) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 14.*

pars decerpitur, uti tradit Fagnanus (1). Quaecumque porro pensio fuerit, ea in pecunia, non in fructuum parte praestabitur. Fructus autem in praesenti argumento stati et certi reditus intelliguntur, non incerti, veluti oblationes, ac quotidianae distributiones. Ceterum a Pontifice constitutae pensiones extinguuntur per mortem pensionistae, degradationem, haeresis, aut majestatis crimen, percussionem Cardinalis, aut Episcopi, cujus in territorio pensio est constituta, matrimonium, monasticam professionem, et interitum rei, ex qua pensio praestatur. Sed hac de re Cabassutius plura dabit (2).

Ex novissima Conventione inita inter Pium VII. et Ferdinandum I. abrogata lege *tertii pensionabilis*, quod apud suppressi Montis Frumentarii administratorem deponebatur, reservatio pensionum secundum regulas canonicas locum habere perget. Mortuo porro pensionario, Episcopatus, aut beneficia ab onere pensionis solvendae libera erunt.

—

(1) Fagnan. *in Lib. III. Decretal. p. I.*
(2) Cabassut. *Theor. et Prax. jur. Can. Lib. II. cap. 14.*

ECCLESIASTICARUM PRAELECTIONUM

LIBER III.

TITULUS I.

De Jurisdictione Ecclesiastica.

Omnis potestas, qua Ecclesiae Antistites pollent, sive sacra administrent, sive fidei propagandae, disciplinaeve fovendae inserviant, sive controversias definiant, seu denique in facinorosos animadvertant, *jurisdictionis* nomine continetur. Ea Sacerdotio cohaeret, et circa spiritualia versatur, Christumque habet auctorem, qui Ecclesiae suae claves tradidit regni caelorum, potestatemque fecit docendi, Sacramenta administrandi, et contumaces a fidelium communione ejiciendi. Quicumque ergo Christianae religioni nomen dederunt, clavium potestati, quae per Ecclesiae Antistites exercetur, sine discrimine subjiciuntur. Adeo autem Christiano sacerdotio spiritualis isthaec potestas adhaeret, ut et ipsis Christianis Principibus de religionis, ac fidei rebus nihil statuere liceat. Ad rem Osius Cordubensis Constantinum ita adloquitur: *Tibi Deus imperium commisit; nobis, quae sunt Ecclesiae concredidit: et, quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae; ita et tu cave, ne, quae*

sunt Ecclesiae, ad te trahens magno crimini obnoxius fias (1).

Jurisdictio autem Ecclesiastica a civili longe distat. Illa circa res spirituales versatur, haec res temporales respicit; illa ad clericos, haec ad laicos pertinet. Apposite Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem: *Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, et Regalis potestas* (2). Sane Sacerdotium, et Imperium ex eodem fonte descendit; sed alterum ab altero officiis ita distinguitur, ut illud divinis ministret, hoc humanis praesit (3). *Aliae sunt leges Caesarum*, ait Hieronymus, *aliae Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit* (4). Ea de causa Gregorius Nazianzenus aegre admodum tulit, res sacras in forum traduci, ne Sacerdotium cum gladio confunderetur (5). Ceterum utcumque jurisdictio Ecclesiastica a civili sit distincta, ambae tamen se se invicem mutua ope adjuvant. Egregie more suo Petrus Blesensis: *Duo sunt gladii, qui mutuum sibi praebent auxilium, atque invicem sibi vires impartiuntur alternas, Sacerdotium Regibus, et Sacerdotibus Regnum* (6). Quare Regiae Majestatis est, Ecclesiasticam jurisdictionem tueri; cum una sit quod ad Principes jurisdictio secula-

(1) Athanas. *epist. ad Solitar.*
(2) *Can.* Duo sunt *Dist. XCVI.*
(3) *Novell. VI. pr.*
(4) Hieronym. *Ad Oceanum.*
(5) Gregor. Nazianzen. *epist. 227. ad Nectar.*
(6) Petrus Blesens. *epist. 73.*

ris, atque Ecclesiastica. Vidit id ipse Justinianus, qui legum, et canonum custodiam sibi a Deo concreditam diserte pronunciavit (1). *Debes incunctanter advertere*, ait Leo M., *Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, ea, quae bene statuta sunt, defendas, et veram pacem iis, quae sunt turbata, restituas* (2).

TITULUS II.

De Statu Jurisdictionis Ecclesiasticae ab Apostolis usque ad Justinianum.

A primis usque temporibus Ecclesiam suos habuisse judices, patet ex Apostoli praecepto (3): *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud sanctos? . . . . . Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? quanto magis secularia. Secularia quidem judicia si habuerit is, contemtibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Ea de causa Cajus, et Alexander I. (4) vetuere, ne quis apud judices seculares Episcopos, aut clericos accusare auderet. Quin ipsi laici Apostolico praecepto inhaerentes judices se-

---

(1) *Novell. 137.*
(2) Leo M. *lib. II. epist. 61.*
(3) *Ad Corinth. cap. 6.*
(4) *Can.* Nemo 1. *Can.* Relatum 14. *C. XI. q. 1.*

culares exosi in ipsis pecuniariis causis non alium adiere, quam civitatis Episcopum. Et sane Gregorium Neocaesareensem Episcopum, qui imperante Decio vixit, controversiis inter Fideles componendis operam suam collocasse, et in judicio vindicationis inter duos fratres excitato ex more secularium judicum litis judicandae causa in rem praesentem venisse, testatur Gregorius Nyssenus (1). Nemini itaque mirum videri debet, si Auctor Constitutionum Apostolicarum Christianos vetet adire Gentilium tribunalia, et de suis litibus apud seculares judices jubeat experiri (2).

Quod vero ad excommunicandi potestatem attinet, eam penes Episcopos ab Apostolico aevo fuisse, memoriae prodiderunt beatioris aevi scriptores. Ea autem tempestate ita valuit excommunicatio, ut a proprio Episcopo ejectus ab aliis nullo pacto reciperetur. Ita Marcion Ponticus sub Antonino a parente Episcopo ob stuprum virgini illatum excommunicatus, Romam profectus, et a Romano Pontifice expetita poenitentia, repulsus fuit (3).

Porro desaeviente paganorum Principum persecutione, et pace a Constantino Ecclesiae parta, Ecclesiastica jurisdictio Christianorum Principum studio maximis aucta est incrementis. In Synodo Romana II. sub Silvestro diserte cautum, ut nemo *clericum in publico examinare praesume-*

(1) Nyssen. *orat. de vit. Gregor. Neocaesar.*
(2) *Constit. Apostol. lib. II. cap. 46.*
(3) Tertullian. *Apologet. cap. 39.* Dionys. Areopagita *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 7. Epiphan. *Haer. 42.*

ret, nisi in Ecclesia (1). In Concilio Nicaeno illud fuit constitutum, ut judices alii non essent, quam quos reus elegisset, aut quos suo cum consensu Sancta Sedes, aut ejus Primates Sanctae Sedis auctoritate delegassent (2) (*a*). Quin in eadem synodo Constantinus Imperator cum querelam quorumdam conspiceret coram se delatam, ait: *vos a nemine judicari potestis, quia ad Dei solius judicium reservamini* (3).

Sed et ipse Constantinus Ecclesiasticam jurisdictionem maximopere amplificavit (4) (*b*), lata lege, cujus plura fuere capita. Primo capite constitutum, ut sententia Episcopi sive inter majores, sive inter minores dicta valeret, et a Praefecto Praetorio executioni demandaretur (*c*). Secundo capite cautum fuit, ut, si quis litigantium in

---

(1) *Can.* Testimonium 9. *C. XI. q. 1.*

(2) *Can.* Judices 4. *C. XI. q. 1.*

(a) *Inter canones Concilii Nicaeni, qui supersunt, canon iste non habetur: sed fuisse plures hujus Concilii canones jamdiu animadverterunt Romani Correctores ad h. can. apud Gratianum.*

(3) *Can.* Continua 5. *Can.* Sacerdotibus 41. *C. XI. q. c.*

(4) *l. 1. C. Theod. de Episc. Judic.*

(b) *Isthaec Constantini constitutio in Codice Justinianeo non exstat, sed refertur in l. 1. C. Th. de Episc. Audient. Eam falsi insimulat Carolus Feuretius lib. 4. cap. 1. Sed ejus argumentis jamdiu satisfecit Dainus Alteserra de Jurisdict. Ecclesiast. lib. 1. cap. 7.*

(c) *Id privilegium unis Episcopis concessum a Constantino. Alias enim judicis sententia adversus minorem dicta non valet, nisi tutor, vel curator judicio adsit.* L. pen. C. Si adv. rem. judic. *l. 2. C.* Rei legitim. person. stand. id judic. hab.

quovis litis articulo ante sententiam judicium Episcopi elegerit, acta ad Episcopum transmitterentur, etiam adversario repugnante (*a*). Tertio denique capite fuit praescriptum, ne Episcopi sententia, non secus ac sententia Praefecti Praetorio, retractaretur. Porro pro diverso Principum ingenio Ecclesiastica jurisdictio varias vices post Constantinum subiit. Sane, imperante Constantio, Magistratus seculares, spreta Constantini lege, amissam potestatem repetierunt. Ea de causa Hilarius Pictaviensis apud Imperatorem querimoniam detulit de prostituta clericorum immunitate.

Ecclesiasticam jurisdictionem pene collapsam restituit Theodosius M., qui, civilibus Magistratibus civilibus Clericorum negotiis relictis, Episcopis sacrae disceptationis Pontificium asseruit (1). Sub Valentiniano Juniore, et reliquis, qui deinceps imperarunt, usque ad Justinianum, variis fuit Ecclesiastica jurisdictio jactata vicibus, et modo latioribus, modo angustioribus conclusa finibus. At Justinianus, instante Menna Patriarcha CPolitano, lata lege statuit, ut in causis pecuniariis Clerici apud Episcopum convenirentur, qui de plano litem sine sumtu, et sportulis definiret; ubi vero Episcopus litem propter ejus ambages definire nequiret, ad judicem laicum rem deferre liceret. Quod vero ad judicia criminalia, idem Imperator

(a) *Singulare id quidem fuit. Judex enim, coram quo contestata semel lis est, declinari nequit. Exceptio fori ante litem contestatam locum habet l. ult. C.* de Except. **l. Peremptorias** *C.* Sent. resc. non poss.

(1) *L. ult. C. Theod.* de Episc. Aud.

edixit, ut ob delicta seu civilia, seu communia veluti adulterium, homicidium, clerici in provinciis apud Praesidem, in urbe apud Praefectum urbi convenirentur: de delictis vero Ecclesiasticis, veluti sacrilegio, simonia, disceptaretur apud Episcopum sine ullo judicis secularis consortio (1). Episcopos porro sive ob pecuniarias, sive ob criminales causas invitos sine Principis rescripto ad secularem Judicem venire noluit (2).

Episcopalem Audientiam nulla ex parte labefactarunt in Italia Reges Gothorum, licet Arianorum erroribus addicti. Ita temerarios accusatores Augustini Episcopi ad Eustorgium Mediolanensem Episcopum, et Metropolitanum remisit Theodoricus (3). Et clericos Romanae Ecclesiae reos postulatos suo judici, i. e. Pontifici tradidit Athalaricus (4). Sub Principibus porro Longobardis nil de Clericorum a secularibus judiciis immunitate detractum: imo ad ipsos Ecclesiarum vassallos, colonos, agricolas ea immunitas fuit producta (5). Tum Carolus M., veteribus Imperialibus legibus renovatis, Clericos in Episcopali Audientia judicari jussit. Et Carolus Calvus de publicis etiam, et gravissimis Clericorum delictis apud Episcopos disceptari voluit (6). Ita inductam clericorum immunitatem Concilia, quae deinceps sunt celebrata,

(1) *Nov. 123. cap. 8.*
(2) *Auth.* Nullus *C. de Episc. et Cleric.*
(3) Cassiodor. *I. Var. epist. 9.*
(4) Idem *III. Var. 24.*
(5) Murator. *Antiq. Ital. Dissert. LXXI.*
(6) *Capitular. Tom. II. tit. 38.*

et Romani Pontifices auctoritate sua confirmarunt (1). In eamdem porro sententiam Fridericus II. Imperator edixit, ut *nullus Ecclesiasticam personam in criminali, vel civili quaestione trahere ad judicium seculare praesumeret. Quod si actor fecerit, jure suo careat, judicatum non teneat, et judex ex tunc judicandi potestate privetur* (2). Hanc Constitutionem Constantienses Patres in Concilii Appendice exscribi voluerunt. Tum Synodus Lateranensis V. excommunicatione *ipso facto* eos coërcuit, qui Ecclesiasticam jurisdictionem quovis pacto attentare auderent (3). Id Tridentini Patres confirmarunt, veteribus constitutionibus, et sanctionibus renovatis (4).

Quod ad Regnum Neapolitanum attinet, sane sub Northmannico Principatu Ecclesiasticae immunitati nil fuit detractum. Quin in Concilio Melphiensi, cui Rogerius ipse interfuit, veteres canones ea de re conditi confirmati fuerunt. Tantum Willemus licet in pactis cum Hadriano IV. initis nil contra Ecclesiasticam immunitatem fuerit molitus; tamen constitutione edita, clericos in causis pecuniariis, quae ab Ecclesiae rebus non penderent, in seculari judicio disceptare jussit. Sub Friderico II. Ecclesiasticae immunitati aliquod fuit detrimentum illatum. Ad Reges Andegavenses Regno delato, Ecclesiastica jurisdictio in pristinum

(1) *Cap.* Etsi clerici 4. *et cap.* Clerici 8. *de Judic. et.*
(2) *Auth.* Statuimus *C. de Episc. et Cleric.*
(3) *Conc. Lateran. V. Sess. IV.*
(4) *Conc. Trident. Sess. XXV. de Ref. cap. 20.*

statum fuit restituta, et clericorum causae seu civiles, seu criminales, feudalibus tantum exceptis, in Episcopali Audientia definitae. Verum, labente tempore, cum plurimae lites inter laicos Magistratus, et Judices Ecclesiasticos exarsissent, eae tandem per Pacta inter Benedictum XIV., et Carolum Borbonium fuerunt compositae. Per novissimam vero Conventionem an 1818. causae omnes Ecclesiasticae in Episcopali Audientia disceptari debent.

TITULUS III.

De Conciliis.

Exposita Ecclesiastica jurisdictione, jam de judicibus dicendum, per quos ipsa expeditur. Primum Concilia videbimus, in quibus Ecclesiastica potestas exercetur; tum alios judices qua ordinarios, qua delegatos persequemur.

Concilia in re Ecclesiastica dicuntur conventus Catholicorum Antistitum rite congregati ad decernendum de fide, moribus, ac disciplina. Ea vel sunt universalia οικουμενικα Graece nuncupata, vel particularia τοπικα appellata. *Universalia* ex totius Christiani orbis Episcopis Romani Pontificis auctoritate coalescunt, iisque ipse Pontifex ordinario jure praeest cum relationis, et suffragii praerogativa. *Particularia* alia sunt *Dioecesana*, alia *Provincialia*, alia denique *Episcopalia*. Dioecesana ex Episcopis, et Metropolitis unius dioecesis coalescunt. Ad Provincialia Episcopi unius provinciae,

Metropolitano praeside, conveniunt. Episcopalia denique a quolibet Episcopo habentur, advocatis ex Episcopali territorio, qui conveniendi jus habent. His accenseri possunt concilia *Perpetua*, et *Mixta*. Ex Episcopis, qui ad Aulam frequentes confluebant, Constantinopolitanus Patriarcha synodum veluti perpetuam habebat, in qua difficiliores res Ecclesiasticae causae definiebantur, quas vel Principes, vel ipsi litigantes ad eum Antistitem deferebant. Hujusmodi synodus ἐνδημοῦσα fuit appellata. *Mixta* vero concilia, quae etiam *Placita* audierunt, ex Regni proceribus, Episcopis, et Abbatibus coalescebant, in iisque de civilibus, et Ecclesiasticis controversiis judicium ferebatur. Non omnes tamen in omnibus causis suffragium ferebant. De rebus enim Ecclesiasticis soli Episcopi, et Abbates judicabant: res civiles a Proceribus definiebantur: causae mixtae ab omnibus tractabantur (1). Hujusmodi Concilia in Hispania, et Gallia frequentiora fuerunt, et regulae in ipsis procusae *Capitularia* apud Gallos audierunt (2).

Concilia generatim sumta divinae sunt institutionis (3), in iisque primigenii judices sedent Episcopi, quibus nimirum Ecclesiae regimen concreditum, ac ligandi, et solvendi potestas a Christo data. Presbyteri, diaconi, et reliqui inferiores Clerici a Conciliis non fuerunt exclusi. Presbyteri qui-

—

(1) *Conc. Tolet. an. XVII. Hincm. Rhemens. Epist. III. 35.*
(2) Pet. de Marca *C. S. et I. VI. 25.*
(3) Joan. *XX. 21. Actor. XV.*

dem in sellis demissioribus sedebant ad sententiam dicendam admissi. Diaconi vero stantes conciliis aderant plerumque cum haereticis disputaturi (1). Ipsi Episcopos advenientes in concilium deducebant; eorumque *Primicerius* i. e. *Archidiaconus* fidelium querimonias Patribus exponebat (2).

Adesse quoque Conciliis consueverunt Monachi veluti testes, licet labente tempore Abbates, et Superiores Generales Ordinum Monasticorum ad suffragium in Conciliis Generalibus fuerint admissi. Postremo ipsi laici Conciliis interfuerunt, qui nec sententiam dicebant, neque ferebant suffragium; sed conditas ab Episcopis regulas accipiebant, ac confirmabant; atque ubi de Episcopis, et Clericis judicia agebantur, inde discedebant. Hinc Theodosius Junior ita ad Patres Ephesinos scripsit: *illicitum est, eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Et Valentinianus Episcopis fidem Nicaenam restaurare adlaborantibus respondit, *sibi, qui unus ex laicorum numero erat, non licere, se ejusmodi negotiis interponere* (3).

In conciliis vel de fide pertractatur, vel de moribus, vel de disciplina; vel judicia agitantur seu civilia, seu criminalia. Locus autem ordinarius habendis conciliis est Ecclesia (*a*); licet nonnulla

—

(1) Euseb. *Hist. Ecclesiast. VI. 33.* Socrat. *I. 8.*
(2) *Conc. Tolet. IV. can. 4.*
(3) Sozomen. *lib. VI. cap. 7.*
(a) *Ecclesiae nomine heic et exedrae, et aedificia adjacentia veniunt. Ita in Basilicae* Secretario *habita pleraque Concilia Carthaginiensia; et in* Catechumeniis *nonnulla*

concilia extra Ecclesiam fuerint celebrata: quod de synodo sexta, et quinisexta constat, quae in *Trullo*, i. e. in Imperialium aedium laqueato cubiculo habitae sunt. In conciliis porro ordine cuncta peragebantur, consessus dignitate cuique servata. Legati Romani Pontificis in Conciliis Generalibus a sinistra parte sederunt, quae dignior habebatur, a dextra Episcopus Alexandrinus. Ex nova disciplina Pontifici adsident Cardinales, licet non sint Episcopi, tum ceteri Antistites, habita ratione Ecclesiarum, et ordinationis. In reliquis conciliis idem ordo, eadem consessus praerogativa servatur. In medio consessu thronus collocari consuevit, cui duo codices alter Evangeliorum, canonum alter impositi, ex quibus et fidei dogmata, et morum regulae deducebantur.

Porro omnia in synodis ad Scripturae, et Traditionis normam expendi debent. Ea in re praeiverunt Apostoli, ubi quaestionem de legalibus definiverunt (1). Praeterea sine dolo, et motu suffragium ferri oportet. Per fraudem enim, metumque gesta rata haberi, non placuit. Quapropter et Concilio Ariminensi, et Latrocinio Ephesino omnis defuit auctoritas: in illo enim fraus adhibita (2); in hoc vis Patribus illata (3). Postremo in decretis ferendis moralis Patrum unanimitas requiritur. Qua-

Concilia celebrata memorat Allanus de Consens. *lib. II. cap. 11.*

(1) *Act. XV. 7.*

(2) Hieron. *adv. Luciferian.*

(3) *Conc. Ephesin. Act. I.*

re in hujusmodi definitionibus locus non est regulis, quas in electionibus Antistitum servari, supra praevertimus. Ubi porro in conciliis de aliquo crimine judicatur, reum citari, audiri, tum instrumenta accusationum expendi, sententiamque conceptis verbis, atque ad unum sensum determinatis pronunciari oportere, Ecclesiasticae regulae jubent. Ita quidem factitatum in Concilio Ephesino in causa Nestorii (1), in synodo Carthaginiensi an. 412. in causa Pelagii, et in Concilio Nicaeno in causa Arianorum.

Eo ordine subscribunt in synodis Episcopi, quo sedent. Ante omnes Pontificii legati subscribunt, seu Episcopi sint, seu presbyteri, seu diaconi. Qui absentium vice conciliis intersunt, illorum, a quibus mittuntur, nomen suo addunt. Interdum et ad absentes Episcopos mitti conciliaria decreta consueverunt, ut illis subscriberent; et aliquando etiam Imperatores subscripserunt, synodales sanctiones confirmaturi.

TITULUS IV.

De Conciliis Generalibus.

Concilia Generalia ex totius Christiani orbis Episcopis coalescunt. Ad ea igitur conveniebant olim Antistites ex Oriente, atque ex Occidente. At dissecta per Orientalium schisma Catholicarum Ec-

---

(1) Theodoret. *lib. I. cap. 8.*

clesiarum communione, Concilia generalia appellantur, quae ab omnibus Catholicis Episcopis cum Romano Pontifice communicantibus, celebrantur. Non omnes tamen Episcopos ad Concilia Generalia venire necesse est. Ex justa causa qui absunt, vel vicaria aliorum opera utuntur, excusationis litteras scribunt.

Porro uni Romano Pontifici jus est Generale Concilium indicendi. Id professi sunt Patres Concilii CPolitani I. (1), Nicolaus I. (2), et Hincmarus Rhemensis (3). Et licet jussu Imperatorum priora Concilia Generalia coivisse, memoriae sit proditum; id tamen Pontificiae auctoritati nullum detrimentum affert. Imperatores enim, Romanis Pontificibus quandoque petentibus, concilia convocantes nil prorsus aliud praestiterunt, quam justam Pontificis voluntatem potestate sua, et imperio firmarunt, reluctantes Episcopos ad Concilia venire jusserunt, et quibus ex suae Ecclesiae aerario ad iter suscipiendum satis non erat, commeatus jusserunt. Itaque auctoritas, et potestas synodos indicendi, qua animi obligantur, penes Pontifices semper fuit.

Generalibus Conciliis Romanus Pontifex seu ipse, seu per legatos praeest. Id universa Ecclesiastica testatur historia. Sane Concilio Nicaeno Osius Cordubensis Episcopus, Vitus, et Vicentius Romani presbyteri vice Silvestri Pontificis praefuerunt.

---

(1) Theodoret. *lib. V. Hist. cap. 9.*
(2) *Epist. ad Gallican. Antist.*
(3) Hincmar. Rhemens. *Op. LV. cap. 20.*

Ephesino Concilio Cyrillus Alexandrinus praesedit nomine Caelestini; et in synodo Chalcedonensi Paschasinus, et Lucentius Episcopi, Bonifacius, et Basilius presbyteri vicariam in προεδρία Leoni operam praestiterunt. Idem factitatum in reliquis Conciliis qua Orientalibus, qua Occidentalibus. Tantum Concilio Constantinopolitano I. sub Damaso, et Concilio V. Oecumenico sub Vigilio Pontifices non praefuerunt: at illud ex Pontificia confirmatione, quam deinde a Damaso obtinuit; hoc auctoritate Vigilii, qui CPoli morabatur, et sententiam extra synodum dicere maluit, oecumenicum evasit. Ceterum isthaec Romani Pontificis προεδρία jus relationis, et suffragii praerogativam continet. Qui enim in consessu praeest, primus referre, et sententiam dicere debet. Atque ea quidem in re ipsum Apostolorum Principem in Apostolorum Concilio de legalibus exemplo suo praeivisse constat (1).

Cum vero Concilium Generale universam repraesentet Ecclesiam (2), in fidei controversiis definiendis, et doctrina morum exponenda errare non potest: quod ex Christi promissione promanat. Canones itaque de fide, et moribus constituti nullam mutationem suscipere possunt. Ubi vero *facti* quaestiones Patres expendunt, in iis errare ipsos posse, nemo dubitat. At quae in Conciliis regulae de disciplina conduntur, quemadmodum ipsa disciplina, a posterioribus Conciliis mutari possunt,

—

(1) *Act. XV. 7.*

(2) Tertullian. *de jejun. cap. 13.* Augustin. *lib. II. de Baptism. cap. 4.*

aut per contrarios mores desuescere. Quare secundum Ecclesiasticam doctrinam scripsit Augustinus, *Concilia plenaria priora posterioribus emendari, ubi aliquo experimento, quod clausum erat, aperitur* (1). Quae sane verba ad disciplinam tantum referri possunt: *fides* enim *una est, et irreformabilis*, ut ait Tertullianus (2).

TITULUS V.

De Conciliis Dioecesanis.

Concilium dioecesanum ab unius dioecesis Episcopis celebratur. Dioecesis autem in hac specie non est unius Episcopi territorium, sed plurium provinciarum coacervatio. Dioecesana porro concilia alia sunt Patriarchalia, alia non Patriarchalia. In Dioecesibus, quibus Patriarchae praeerant, cujusmodi erant Orientales, dioecesana Concilia fuerunt Patriarchalia: ubi vero Patriarchae dioecesi non adsidebant, Concilia Dioecesana Patriarchalia non fuerunt. Ita in Occidente, ubi, excepto Romano Pontifice, nulli fuerunt Patriarchae, concilia Gallicana, Hispana, Carthaginiensia dioecesana, non Patriarchalia videri possunt. Hujusmodi concilia interdum *majora* (3), *universalia* (4), *plena-*

—

(1) Augustin. *de Baptism. II. 3.*
(2) Tertullian. *de Praescr.*
(3) *Conc. Antioch. can. 12.*
(4) *Cod. African. 19. et 77.*

naria (1), *generalia* (2) a veteribus nuncupantur.

Ad concilium dioecesanum Metropolitae, et Episcopi dioecesis conveniebant. Concilio praeerat Patriarcha, seu Exarchus dioecesis, qui jure ordinario illud indicebat. Eodem sane pacto Romani Pontifices indicebant Concilium Italicum, quod ex Praefectura Romana, et Italica dioecesi coalescebat; et synodum Africae plenariam Primas Carthaginiensis convocabat. In Gallia vero, et Hispania plerumque Pontifices synodos haberi jubebant, datis ad Metropolitanos litteris, et Regia auctoritate implorata (3).

Synodum Dioecesanam quotannis celebrari, jussit Justinianus (4): quod Synodus VIII. confirmavit (5). Non absimili sane pacto concilium Carthaginiense III. singulis annis generalem Africae synodum celebrare voluit (6); et quotannis in Hispania, et Gallia concilia plenaria ut haberentur, edixere Pontifices (7). Sed in Occidente plenaria Concilia, ubi necessitas postulabat, celebrari consueverunt: quod Africanis Patribus placuit (8). Ceterum in Conciliis Dioecesanis *causae communes* totius dioecesis pertractabantur (9), et quae

(1) *Cod. African. 94.*
(2) *Conc. Tolet. IV. can. 3.*
(3) Leo M. *epist. 15. ad Turrib.* Gregor. *M. lib. VII. epist. 10. et 113.*
(4) *Novell. 137. cap. 4.*
(5) *Conc. VIII. can. 17.*
(6) *Cod. African. can. 18.*
(7) Hilarius *P. ep. 7. ad Episc. Gall.*
(8) *Cod. African. can. 95.*
(9) *Conc. Toletan. can. 95.*

fidem, et quae communem disciplinam respiciebant. Ita controversia de appellationibus inter Romanos Pontifices, et Episcopos Africanos causa Apiarii presbyteri exorta in conciliis Africae plenariis fuit agitata (1). Et a sententiis Conciliorum provincialium ad synodum dioecesanam appellabatur.

TITULUS VI.

De Conciliis Provincialibus.

Ad synodum provincialem una cum Metropolitano conveniunt totius provinciae Episcopi. Eam Metropolitanus indicit tempore, ac loco designato. Quod si Metropolitanus legitimo detineatur impedimento, aut Metropolitana sedes suo pastore sit viduata, senior Episcopus synodum cogit (2). Qui autem synodum indicit Metropolitanus, synodo praeest; et Patres Antiocheni *perfectam* synodum eam pronunciarunt, cui Metropolitanus praesideret (3).

Nisi legitimis causis detineantur Episcopi provinciae, ad provinciale Concilium vocati venire debent (4), aut vicaria presbyterorum, vel diaconorum opera uti (5). Quod si provinciales Episcopi

---

(1) *Cod. African. can. 137.*
(2) *Conc. Trid. Sess. XXV. de Ref. cap. 2.* Fagnan. *ad cap.* Dum olim *de Accusat. e* ꝟ.
(3) *Conc. Antioch. can. 17.*
(4) *Can. 13. Dist. XVIII.*
(5) *Conc. Arelat. II. can. 18.*

sine justa causa ad concilium venire detrectassent, secundum veteres regulas fraternae correctioni subjiciebantur (1), et in Occidente *missas facere* interdicebantur (2), aut communione omnium Episcoporum provincialium privabantur usque ad futuram synodum (3). Ubi porro Episcopi Metropolitano non subsunt, semel viciniorem Metropolitanum eligere jubentur, cujus Concilio intersint (4). Ceterum praeter provinciales Episcopos, provinciali Concilio et alii intersunt, quibus seu ex jure, sive ex consuetudine locus in eo datur. Hinc et Canonici Cathedrales (5), et Abbates Regulares, et secundum receptos alicubi mores Canonici Collegiatarum Ecclesiarum (6), et Archipresbyteri ad provincialem synodum vocantur. Illud autem voluerunt Londinenses Patres, ut Episcopis in provinciali synodo suffragii jus foret, ceteris tantum consulendi potestas esset (7). Sed ea in re recepti mores servandi.

Bis in quolibet anno synodum Provincialem celebrari, voluere veteres Patres. Pro diversa autem locorum consuetudine diversis temporibus haberi placuit. Nicaeni Patres habendis provincialibus synodis praestituerunt antequadragesimales, et autumna-

---

(1) *Conc. Chalced. can. 19.*
(2) *Conc. Aurelian. III. can. 1.*
(3) *Can. 14. Dist. XXIII.*
(4) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 2.*
(5) *Cap.* Etsi 10. *de His, quae fiunt a Prael. sin. cons. Capit.*
(6) Espen. *P. I. tit. XX. cap. 1.*
(7) Harduin. *Collect. Concil. tom. VI. p. 1.*

les dies (1); et Patres Antiocheni primam synodum celebrari jusserunt quarta hebdomada Pentecostes, i. e. quarta hebdomada post festum Paschae (2). At Patres Chalcedonenses nihil de tempore praescripserunt (3). Sensim concilia provincialia semel in annis singulis celebrari coeperunt. Id et Justinianus edixit (4), et Concilio Nicaeno II., ac Lateranensi IV. placuit (5). Sed Patres Tridentini, quo collapsae disciplinae aliqua ex parte consulerent, saltem tertio quoque anno provinciales synodos haberi voluerunt (6).

Qualibet in provincia graviora negotia sive ad fidem et mores pertinerent, seu ad disciplinam, in provinciali synodo definiebantur. Quare praeter fidei quaestiones, disciplinae emendatio, contra Episcopos querimoniae, ipsorum translationes, cessiones, novarum Sedium erectiones, et majores momenti negotia in supremo Provinciae auditorio expendebantur olim. Sed ex quo caussae majores ad Romanam Sedem delatae, provincialium synodorum auctoritas decrevit, et ferme ad unius disciplinae emendationem redacta est. Ceterum licet Concilium provinciale canones condat, illi tamen ante Romani Pontificis confirmationem promulgari non possunt. Id sensim per Ecclesias Occidentales re-

---

(1) *Conc. Nicaen. can. 5.*
(2) *Conc. Antioch. can. 20.*
(3) *Conc. Chalced. can. 16.*
(4) *Novell. 137. cap. 4.*
(5) *Conc. Nicaen. II. can. 9. Cap. 25. de Accusat. e 8*
(6) *Conc. Trid. Sess. XXVI. de Ref. cap. 2.*

*

ceptum, auctoritate Sixti V. fuit firmatum (1). Et in Italia provinciales synodi cogi prohibentur, nisi venia prius a Romano Pontifice impetrata (2). Illud porro praeteriri non debet, ad synodum provincialem celebrandam opus esse Regia auctoritate, sine qua et canones promulgari non possunt (3).

Concilii provincialis decreta rite promulgata omnes provinciales obstringunt. Ipsi regulares exemti provincialis synodi canonibus parere jubentur. Auctoritate enim Romani Pontificis provincialibus Conciliis impartita, quaevis exemtio provinciales constitutiones declinari non patitur.

TITULUS VII.

De Conciliis Episcopalibus.

Conventus Presbyterorum unius dioecesis ab Episcopo indictus ad Ecclesiastica negotia pertractanda Concilium *Episcopale* veteribus, *Dioecesanum* recentioribus fuit nuncupatum. Cum synodi dioecesanae celebratio pars sit Episcopalis jurisdictionis, eam Episcopus confirmatus ante consecrationem recte indicit. Per confirmationem enim Episcopo jurisdictio, i. e. potestas administrandae Ecclesiae defertur. Metropolitano autem id juris denegatur, antequam Pallium recipiat. Praelati porro inferio-

---

(1) *Conc. Nicaen. can. 5. Conc. Antioch. can. 20. Conc. Chalcedon. can. 19.*

(2) Sixtus V. *Const. 117. tom. IV. Bullar. p. 4.*

(3) Card. de Luca *Dist. III. ad Conc. Trident.*

res, qui dioecesim separatam habent, et quasi Episcopali jurisdictione utuntur, nisi speciale Sedis Apostolicae privilegium habeant, dioecesanam synodum convocare prohibentur. Vicarius vero Capitularis post annalem vacantis Ecclesiae luctum dioecesanam synodum jure suo indicit. Capitulum enim, Sede Episcopali vacante, omnia, quae jurisdictionis sunt, jure ordinario exercet. At Vicarius Generalis Episcopi ex mandato generali synodum indicere non potest.

Concilium Episcopale bis in quolibet anno celebrari voluerunt veteres Ecclesiasticae regulae (1). Sensim, ubi concilia provincialia semel in singulis annis haberi coeperunt, Episcopales synodi semel quotannis fuerunt celebratae. Id Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. (2), et Tridentini Patres confirmarunt (3). Ex novissima Conventione inter Pium VII. et Ferdinandum I. Episcopi in dioecesanis synodis convocandis liberi erunt (4).

Episcopali synodo in nova disciplina praeter Parochos intersunt, qui dignitatem, aut personatum habent, Vicarius Generalis, Vicarii *foranei*, Cathedralis Ecclesiae Canonici, et Canonici Collegiatarum Ecclesiarum, ac reliqui dioecesani beneficiarii, ubi id ex consuetudine receptum (5). Quin et ipsos exemtos, qui Capitulis generalibus non subduntur, quique Regulares paroeciis Monasterio ad-

(1) *Can. 2. Dist. XVIII.*
(2) *Cap. 25. de Accusat.* e ꝗ.
(3) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 2.*
(4) *Art. XX. §. 4.*
(5) Benedict. XIV. *de Synod. Dioeces. cap. 6.*

nexis praesunt, etiamsi Capitulis generalibus sint subjecti, Episcopali Synodo interesse voluerunt Tridentini Patres (1).

In concilio autem Episcopali ex bono et aequo subortae in dioecesi controversiae componuntur; tum quae ad mores, et ad disciplinam pertinent expenduntur, et secundum Ecclesiasticas regulas reparantur. Sed hodie in Episcopali Concilio vix collapsa disciplina restituitur. Praeterea in Synodo Episcopali *Examinatores synodales*, et *synodales Judices* eliguntur. Examinatores synodales sex saltem ex clericis eligi debent, qui vitae honestate, et scientia aliis praecellant. Ex ipsis tres tantum una cum Episcopo examen eorum instituunt, qui ad paroeciales ecclesias adspirant. Eorum munus annale est, aut certe singulis annis confirmatur (2). Sed rarioribus factis Episcopalibus synodis, ipsi Episcopi quotannis ex venia Sacrae Congregationis Examinatores a majori parte Capituli probandos eligere solent (3). *Judices* vero *synodales* ii esse debent, quibus causae a Sede Apostolica committi queant. Eos Bonifacius VIII. aut dignitate, aut personatu praeditos, aut Canonicos esse voluit (4). Quo autem de eorum probitate, et scientia certius constaret, ipsos in Episcopali, vel provinciali synodo eligi jussit Concilium Tridentinum, eorumque nomina ad Sedem Apostolicam transmitti (5). Sed

(1) *Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap.* 2.
(2) *Trid. Sess. XXIV. cap. 18.*
(3) Benedict. XIV. *de Syn. Dioeces. lib. IV. cap. 7.*
(4) *Cap.* Statutum 2. *de Rescript. in VI.*
(5) *Conc. Trid. Sess. XXV. de Ref. cap. 10.*

hodie Judices synodales, non secus ac Examinatores extra synodum cum Capituli consensu, atque ex Congregationis venia deliguntur.

Porro Episcopalis Concilii canonibus Christiani omnes, qui in dioecesi sunt, obstringuntur. Ipsi exemti synodi Episcopalis decretis parere jubentur, praeterquam in exemtionis articulis. Quin et Canonicorum Capitula licet exemta synodalibus hujusmodi regulis teneri edixerunt Tridentini Patres (1). Qui vero dioecesani extra dioecesim morantur, si dolus absit, synodi dioecesanae canonibus obligari non putaverim, cum aliis regulis, ubi degunt, obtemperare debeant (2).

TITULUS VIII.

De Judiciis Ecclesiasticis.

Judicium est legitima disceptatio inter actorem, et reum coram judice competente litis finiendae causa. Aliud est judicium *ordinarium*, aliud *delegatum*. Illud coram judice ordinario exercetur; hoc apud judicem delegatum. Ordinarius judex dicitur, qui universalem jurisdictionem habet sive jure suo, sive superioris beneficio. Hujusmodi censentur Episcopus, Archiepiscopus, Legatus Summi Pontificis, cujus officium per Pontificis mortem non exspirat (3). Judex autem delegatus ap-

---

(1) *Trid. Sess. XXV. de Ref. cap. 6.*
(2) Bened. XIV. *de Syn. Dioeces. lib. IV. cap. 4.*
(3) *Cap. 2. de Offic. Legat. in VI.*

pellatur, qui mandatam habet jurisdictionem, quam propterea alteri mandare non potest (1). Tantum si cui a Pontifice fuerit mandata jurisdictio, is alium subdelegare non prohibebitur (2).

Praeterea judicium dividitur in *ordinarium*, et *summarium*. In ordinario judicium sollemni ritu proceditur, omnibus judicialibus actis summa religione servatis. In judicio vero summario, omissis sollemnitatibus, ea tantum servantur, sine quibus veritas non cognoscitur. Judicium etiam aliud est *civile*, aliud *criminale*. Civili judicio de bonis disceptatur; criminali petitur poena ob publicam disciplinam violatam.

Dividi quoque solet judicium in *petitorium*, et *possessorium*. In petitorio judicio agitur de proprietate, vel de alio jure seorsum a possessione, vel quasi possessione. Itaque petitorio judicio experimur, ubi hereditatem petimus, servitutem vindicamus, aut de quocumque jure, puta eligendi, nominandi disceptamus. In possessorio judicio quaeritur de sola possessione seu adipiscenda, seu retinenda, seu recuperanda, quaestione dominii ad maturius examen rejecta. Separata porro quaestio possessoria id commodi praestat, ut, possessione probata, adversario incumbat onus probandi jus suum in petitorio judicio, quo non probato, res apud possessorem manebit (3).

Jam vero causae spirituales secundum Evangelium, et sacros canones fuerunt semper judicatae.

---

(1) *L.* A Divo Pio *ff. de Re Judic.*
(2) *Cap. ult. de offic. Jud. deleg.* e &.
(3) §. *4. Instit. de Interdict.*

Id et ipsi Principes agnoverunt, atque auctoritate sua firmarunt (1). Causae vero civiles in veteri disciplina ex legibus civilibus per Episcopos dijudicabantur (2). At labentibus annis, legibus civilibus neglectis, Episcopi secundum Ecclesiasticas regulas lites definire coeperunt. Isthaec disciplina maximopere invaluit, ubi plerique canones, et plurimae Pontificum decretales de rebus civilibus, et profanis prodierunt; ut vix aliqua lis suboriretur, quae per Ecclesiasticas regulas definiri nequiret.

Porro lites Episcopi ex bono, et aequo de more Sacerdotum definiebant, posthabitis legum sollemnitatibus. Fortasse post seculum XII. forenses ambages in Episcopalem Audientiam invectae. Clerici enim Juri civili incumbentes jurisprudentia non contenti, ejus usu in Ecclesiastica judicia illato, novum judiciarium ordinem excuderunt. Ipsi Romani Pontifices civili prudentia delectati operi perficiundo operam collocarunt, et secundum regulas Rom. juris responsa dederunt. Ea de causa S. Bernardus Eugenium III. increpat: *quotidie perstrepunt in Palatio leges, sed Justiniani, non Domini .... Hae autem non tam leges, quam lites sunt, et cavillationes subvertentes judicium* (3).

---

(1) *L. 1. C. Th. de Relig. Novell. LXXXIII.*
(2) Alteser. *de Jurisdict. lib. VII. cap. 3.*
(3) S. Bernard. *Lib. I. de Considerat. cap. 4.*

TITULUS IX

De Judicibus Ordinariis.

Judices olim dicebantur, qui a Praetore dati nudam notionem habebant, sententiamque ex formula accepta ferebant, sententiae executione ipsis denegata (1). Sed ex quo Diocletiano placuit, ut Praesides, quibus in causis antea judices dabant, notionis suae examen adhiberent (2), sublatisque a Constantino actionum formulis (3), omnia judicia extraordinaria evaserunt, Magistratus omnes *judices* fuerunt. Ita nomine judicis designatur vir bonus, qui lites publica auctoritate definit.

Jure decretalium alii sunt judices *ordinarii*, alii *delegati*. Ordinarii dicuntur, qui ex suo munere quasi propriam habent jurisdictionem (*a*). Ordinaria jurisdictio, quae ordinationi, aut dignitati adhaeret, nisi ex justa causa, et juris ordine servato, nec adimi, nec restringi potest. Illud autem adverti debet, licet in Dioecesi plures sint

---

(1) *L.* Actio 47. §. *1. ff. de Negot. Gest.*
(2) *L.* Placet 2. *C. de Pedan. Judic.*
(3) *L. 1. C. de Form. sublat.*
(a) *Jure civili Provinciarum Praesides passim* ordinarii Judices *vocantur. Ipsi ex ordine* Clarissimorum *deligebantur, quos sane* Spectabiles , *et* Illustres *dignitate praecedebant. Ex horum ordine Proconsules, Praefecti Praetorio, Comites Orientis, Praefecti urbi adsumebantur. Videsis* Cujac. *Paratit. Cod. de Offic. Rect. Provinc.*

ordinarii judices, *Ordinariorum* tamen nomine Episcopos plerumque designari.

Antiquitus jurisdictio ab uno Episcopo expediebatur, qui lites omnes ex bono et aequo dijudicabat. Interdum in id opus cogebatur presbyterium, i. e. Senatus Ecclesiasticus, qui ex presbyteris, et diaconis coalescebat, quorum illi sellis humilioribus Episcopo adsidebant, et suffragium ferebant; hi vero adstabant tamquam ministri. Sensim Episcopi negotiorum mole obruti Archipresbyteris, Decanis ruralibus, et in primis Archidiaconis jurisdictionem mandare coeperunt. Ii principio vicaria opera usi sensim ordinarii evaserunt, et suo veluti jure causas et cognoverunt, et judicarunt. Inde porro factum, ut ab Archidiaconis, aliisque inferioribus Praelatis non ad Metropolitanum, sed ad Episcopum appellari oportere, responderit Innocentius IV. (1). Sed Archidiaconorum, Decanorumque potestas pedetentim decrevit, et vix unus, aut alter hodie superest, qui veteris jurisdictionis vestigia retineat. Episcopi enim vicarios sibi delegerunt, qui ordinariam ipsorum exercerent jurisdictionem. Sed nos de officio Vicariorum superius plura praevertimus.

—

(1) *Cap. 5. de Appellat. in VI.*

TITULUS X.

De Judicibus Delegatis.

Qui jurisdictionem alterius mandato exercet, *Judex delegatus* nuncupatur. Is quidem nihil proprium habet, sed mandantis vice fungitur. Mandari autem jurisdictio ab eo tantum potest, cui constituendi magistratum jus est, cuique propria jurisdictio ex munere competit. Quare Episcopi Metropolitani, Patriarchae, et Romani Pontifices jurisdictionem jure suo mandant.

Inter judices delegatos eminent Pontificii veteribus Patribus ante Alexandri III. aetatem ignoti. Ex causarum multitudine, quae post seculum X. ab omnibus Occidentis provinciis Romam confluxerunt, eorum origo potissimum ducenda. Iis sane causis definiendis ne nimium distraherentur Pontifices, judices in partibus delegarunt, qui sua vice ea in re fungerentur. Pontificii porro delegati *super omnibus, quae ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipiunt potestatem*, uti Archiepiscopo Senonensi rescripsit Alexander III. (1). Quapropter et vices suas alii demandare possunt (2), nisi personae fides, et industria fuerit electa, aut certum ministerium demandatum (3);

---

(1) *Cap.* Praeterea 5. *ex h. t.*
(2) *Cap.* Si pro debilitate 3. *eod.*
(3) *Cap.* Quoniam 43. §. 1. *et* 2. *eod.*

et Ecclesiastica severitate non modo adversus litigantes utuntur, sed contra ipsos Episcopos delegationis executionem impedientes (1); et usque ad integrum annum jurisdictionem sibi commissam ad exequendam sententiam exercere non prohibentur. (2).

Jam vero Romani Pontifices clericis quibuscumque sine discrimine jurisdictionem suam committebant olim. Id Sedi Apostolicae indecorum ratus Bonifacius VIII. edixit, ut tantum dignitate, aut personatu praeditis, vel Ecclesiae Cathedralis Canonicis causae a Pontificibus, eorumque Legatis delegari possent (3). Quin Tridentini Patres, quo viri praestantiores in id opus deligerentur, statuerunt, ut in synodo Provinciali, vel Dioecesana designarentur personae qualitatibus a Bonifacio VIII. praescriptis exornatae, quibus causae a Romana Sede committerentur. Ii *Synodales judices* fuerunt appellati, qui in singulis dioecesibus non minus quatuor esse debent; quorum sane nomina ad Romanum Pontificem transmitti oportet.

Porro ultra duas diaetas extra suam dioecesim per litteras Apostolicas ad judicium neminem trahi posse, statuit Innocentius III. in Concilio Lateranensi, nisi de assensu partium forent litterae impetratae (4). At Bonifacius VIII. edixit, ut, ubi actor, et reus ejusdem sint dioecesis, extra ipsam causa non committatur. Ea tantum in specie id

—

(1) *Cap.* Praeterea 5. *cap.* Sane 11. *eod.*
(2) *Cap.* Quaerenti 26. *eod.*
(3) *Cap.* Statutum *de Rescript. in VI.*
(4) *Cap.* Nonnulli 28. *de Rescript.* *eod.*

indulsit, ubi ab Episcopo contra aliquem dioecesanum, vel a dioecesano contra Episcopum, aut contra Canonicorum Capitulum, vel universitatem actio sit instituenda; vel nisi actor civitatem, aut dioecesim ingredi ob adversarii potentiam reformidet. Ceterum hisce casibus extra dioecesim judicium committi jubet, sed non ultra unius diei spatium a dioecesis finibus. Quod si actor, et reus non sint ejusdem dioecesis, judicium mandari jussit aut in rei dioecesi, aut in alia, quae non sit actoris; dummodo locus, ad quem reus trahitur, ultra unam diaetam ab ipsius dioecesi non fuerit remotus (1).

Sive unus, seu plures fuerint delegati judices, mandati fines servare jubentur (2). Quare delegatio ultra res, et personas nominatim in mandati litteris expressas non prorogatur (3). Tantum quae sunt connexa negotio, sine quibus delegatio ad exitum deduci nequit, delegatus expedire non prohibetur. Ita si delegationis rescripto obreptionem, aut subreptionem inesse objiciatur, de ea delegatus cognoscet (4). Illud autem adverti debet, judicem delegatum, qui jure fuerit suspectus, posse recusari post ipsam litem contestatam, ubi tamen suspicionis causa, lite contestata, emerserit (5). Suspicione vero coram ipso judice allegata, arbitri

(1) *Cap.* Statutum 11. §. 1. *et* 2. *eod. in VI.*
(2) *Cap.* Ex parte 13. *h. t. eod.*
(3) *Cap.* Cum olim 32. *eod.*
(4) *Cap.* Significantibus 38. *eod.*
(5) *Cap.* Insinuante 25. *eod.*

eligentur, qui de recusatione cognoscent (1). Ubi porro arbitri intra terminum competentem recusationis causam non probaverint, delegatus jurisdictione sua utetur (2). Quod si Episcopi delegatus recusetur, recusationis causam coram ipso Episcopo probari, et expediri oportere, edixit Bonifacius VIII. (3).

A sententia judicis delegati appellatio non denegatur. A delegatis quidem Pontificis ad ipsum Pontificem appellatur (4). Quod si Pontificis delegatus jurisdictionem alteri mandavit, interest, utrum totam, an litis partem subdelegarit, sibi sententia reservata. In prima specie ad Pontificem appellabitur (5); in altera vero ad eum provocari placuit, qui jurisdictionis partem mandavit (6); nisi delegatus Pontificius decesserit, aut de causa cognoscere non possit (7). A sententia vero ejus, cui ab Ordinario mandata est jurisdictio, non provocatur, qui mandavit, sed qui a mandante ipso provocari debebat (8).

Jam pluribus modis finietur delegatio. Et primum quidem delegati judicis officium exspirat morte delegantis, re integra (9). Res autem integra esse

---

(1) *Cap.* Suspicionis 39. *eod.*
(2) *Cap.* Secundo §. 1. *eod. in VI.*
(3) *Cap.* Si contra 4. *eod. in VI.*
(4) *Cap.* Ab arbitris 11. *eod. in VI.*
(5) *Cap.* Si duo 3. *eod. in VI.*
(6) *Cap.* Super quaestionem 27. §. 2. *Cap.* Si delegatus 7. *eod. in VI.*
(7) *Cap.* Si is 10. *eod. in VI.*
(8) *L. 1. ff. Quis, a quo appellet.*
(9) *Cap.* Licet 30. *h. t. eg.*

desinit per citationem, quod Urbanus III. edixit (1), contra sententiam Lucii III., qui rem non integram pronunciavit post litis contestationem (2). Praeterea desinit delegatio, finito negotio, quod fuit mandatum (3). Quod si delegatio a Pontifice fuerit commissa, delegatus jurisdictionem post sententiam per annum retinebit adversus eos, qui sententiae parere detrectaverint (4). Quin et recusatione proposita, atque admissa (5); et revocatione mandati, quae Principi deleganti semper permittitur (6); et lapsu temporis, quo mandata jurisdictio fuit conclusa, delegationem cessare placuit; nisi partium consensu delegati officium fuerit prorogatum (7). Illud heic praeteriri non debet, praeter Pontificios, sine speciali mandato et alios esse delegatos ab ipsis canonibus constitutos. Tales sane sunt Episcopi, qui in multis speciebus Pontifici reservatis jurisdictionem exercent tamquam Sedis Apostolicae delegati. Hujusmodi delegationis auctores fuere Tridentini Patres. Ceterum in his speciebus a delegatis ad Pontificem appellatur. Vicarii Episcoporum per mandatum generale eam jurisdictionem non exercent; et Sede Episcopali vacante ea delegatio ad Capitulum non defertur.

---

(1) *Cap.* Gratum 20. *eod.*
(2) *Cap.* Relatum 19. *eod.*
(3) *Cap.* In litteris 9. *eod.*
(4) *Cap.* Quaerenti 26. *eod.*
(5) *Cap.* Judex 5. *eod. in VI.*
(6) *Cap.* Pastoralis 28. *eod.*
(7) *Cap.* Quaerenti 26. *eod.*

TITULUS XI.

De Arbitris.

Arbitri in Jure Ecclesiastico dicuntur, qui vel consensu partium, vel jussu legis, sine jurisdictione, ac sine judiciali forma de controversia cognoscunt. Eapropter alii *voluntarii* appellantur, alii *necessarii*. Voluntarii partium compromisso deliguntur, *compromissarii* (1) propterea nuncupati. Compromissum autem est conventio, qua litigantes promittunt parere sententiae, quam electus arbiter pronunciaverit. Compromisso et poena addi potest (2), et jusjurandum, quo major vis accedat (3); et medio aevo obsides a compromittentibus dari consueverunt (4).

Qui judices esse possunt, in ipso recte compromittitur. Hinc pupilli, minores, mulieres (*a*) arbitri esse prohibentur. Quin et laici in causis spiritualibus, aut Ecclesiasticis arbitrium suscipere non possunt: *non decet* enim, *ut laicus in talibus arbitretur*, ut in Concilio Lateranensi edixit Innocentius III. (5). Illud vero in dubium revo-

---

(1) *L.* 4. *ff. de Tutorib.*
(2) *Cap.* Per tuas 9. *h. t.* 2. *eꝗ.*
(3) *Cap.* Non sine 2. *eod.*
(4) *Cap.* Exposita 11. *eod.*
(a) *Jure Decretalium si mulieres ordinariam jurisdictionem habuerint, arbitrium accipere non prohibentur. Cap.* 4. *h. t. eꝗ.*
(5) *Cap.* Contingit 8. *eod.*

cari nequit, laicos in rebus Ecclesiasticis simul cum clericis arbitros esse non prohiberi, ubi Romani Pontificis, ejusve Legati auctoritas interveniat (1).

Quicumque porro rerum suarum liberam administrationem habent, ipsis compromittere licebit. Quare pupillis, ac minoribus compromittere interdictum (2). Item frustra compromittunt procuratores sine speciali mandato. Ii autem si ex mandato generali compromiserint in causa sibi commissa, vel poenam, si fuerit adjecta, subibunt, vel in id, quod interest, damnabuntur (3). Quin et Episcopi sine consensu Capituli compromittere prohibentur (4); et ipsi arbitri aliis suas vices mandare nequeunt, nisi id nominatim ipsis fuerit concessum (5).

Porro arbitri ex partium consensu delecti nullam jurisdictionem habent (*a*). Quare et proprie udices non sunt (6), et ipsorum sententia *arbi-*

---

(1) *Cap.* Per tuas 9. *eod.*
(2) *L. 35. ff. de Recept.*
(3) *d. Cap.* Per tuas 9. *eod.*
(4) *Cap. 1.* de His, quae fiunt a Praelat. sine cons. Capit. *e*ꝫ.
(5) *Cap.* Cum a nobis 13. *h. t.*
(a) *In cap.* Examinata 7. *de Confirmat. util. Innocentius III. arbitrium de Ecclesiastico negotio a Vicedomino Sabinensi susceptum videtur non repudiasse. Inde nonnulli putarunt, in laicos de rebus Ecclesiasticis posse compromitti. Sed salva res est. Vicedominus Sabinensis, de quo in Innocentii rescripto recurrit mentio, clericus erat, qui vice Episcopi Ecclesiastica negotia definiebat. Id animadvertit* Jac. Cujac. *in cap. 15. de Judic. e*ꝫ.
(6) *L. 13. §. 2. ff. de Recept., qui arbitr.*

trium a veteribus (1), *laudum* a recentioribus (2) appellatur, et arbitrium rei judicatae auctoritate destituitur (3), et infamiam non irrogat (4). Omnis itaque arbitrorum potestas ex compromisso definitur (5); ut reconventioni apud arbitros locum non esse, rescripserit Innocentius III. (6). Ceterum licet ex compromittentium voluntate arbitrorum potestas descendat, pleraque tamen sunt in jure prodita, de quibus frustra compromittitur. Ita ad restitutiones in integrum, ad causas matrimoniales (7), ad causas status (8), ad causas criminales, et famosas (9), et ad causas de statu Ecclesiae, veluti de exemtione (10), arbitrorum notio non extenditur. Id ita placuit, quia, quae a jurisdictione manant, aut jus publicum spectant, privata notione componi non possunt.

Quamvis vero semel receptum arbitrium arbitri implere cogantur, ut, si illud perficere detrectent, Praetoris jurisdictione compellantur (11); pluribus tamen ex causis compromissum, etiam arbitrio recepto, ante laudum pronunciatum finiri placuit.

---

(1) *L. 9. ff. Qui satisd. cogant.*
(2) *Vid. Hotoman. de Verb. Feudal.*
(3) Paulus *Sentent. V. 5.*
(4) *L. 13. §. 5. ff. de His, qui not. infam.*
(5) *L. 32. §. 15. ff. de Recept. qui arbitr.*
(6) *Cap.* Cum dilectus 6. *h. t. e*ẍ.
(7) *Cap.* Causa 9. *de in integr. restitut. e*ẍ.
(8) *L. 32. ff. de Recept. qui arbitr.*
(9) *d. cap. 9.*
(10) *Cap.* Cum tempore 5. *h. t. e*ẍ.
(11) *L. 3. §. ult. ff. de Recept. qui arbitr.*

*

Quare mortuis compromittentibus, aut eorum altero, arbitrorum potestas exspirat: nisi enim id nominatim fuerit cautum, ad heredes compromissum non venit (1). Praeterea ubi arbitri, aut unus eorum decesserit, arbitrium cessat; nisi secus compromittentibus placuerit (2). Quin et solvitur compromissum, ubi adjecta dies lapsa sit, et ubi lis transactione, aliove quovis modo fuerit finita (3). Postremo si litigantes, vel eorum alter, adversario etiam invito, judicem adeat, compromissum cessare placuit (4).

TITULUS XII.

De in jus vocando.

In jus vocare nihil aliud est, nisi citare. Citatio autem est actus judicialis, quo jussu Praetoris quis in judicium vocatur sui juris experiundi causa. Veteri Romano jure cuivis potestas erat adversarium in jus vocandi; qui ubi venire detrectaret, aut vadimonium non promitteret, obtorto collo ducebatur. Sed hujusmodi in jus vocatio exolevit, et citatio ab uno Praetore jubetur seu verbis, seu litteris, seu per viatorem, seu per praeconem, sive per edictum. Illud porro certum est, in quovis

—

(1) *Cap.* Ex parte 10. *h. t. e*ꝫ.
(2) *Cap.* Un. 42. *de Offic. Deleg. e*ꝫ.
(3) *l.* 32. §. 3. *ff. de Recept. qui arbitr.*
(4) *l.* 32. *ff. eod.*

judicio fieri citationem oportere, ne reus inauditus damnetur (1).

Citatio autem a Judice decernitur ex actoris libello, unde ipsius contra reum petitio cognoscitur. Libellus debet esse clarus, certus, et ad rem, qua de agitur, accommodatus. Quare nomen Judicis, actoris, ac rei, perspicua negotii narratio, et in actione personali petitionis causa libello contineri debet (2). Petitio vero quo certa sit, rem petitam demonstret necesse est (3): si enim generalis fuerit, nullius momenti habebitur. Ceterum, oblato libello, si actor eum mutare velit, inspiciendum est, contestata ne lis sit, an non; et utrum substantiam mutare actor velit, an aliquid vel addendo, vel detrahendo corrigere, integra manente substantia. Sane ante litem contestatam non modo emendari, sed et mutari libellus potest. Lite vero contestata, emendari libellum posse, mutari non posse, certi juris est (4). Ceterum ubi inepta fuerit actio, reo a petitione absoluto, actor aptiorem actionem instituere non prohibetur (5).

Citatio alia simplex est, alia peremtoria. *Simplex* dicitur, quae citato non ante contumaciam adscribit, quam post tres terminos certis dierum intervallis praefinitos; quae intervalla decem dies singula continebant jure veteri (6); jure novissimo

---

(1) *Clement.* 2. *de Sent. et Re judic.*
(2) *Cap.* Dilecti 3. *de Libell. oblat. e* ꝗ.
(3) *Cap.* Significantibus 2. *eod.*
(4) *Vid.* Vinn. §. 35. *Instit. de Action.*
(5) *Cap.* Examinata 15. *de Judic. e* ꝗ.
(6) *l.* 69. *ff. de judic.*

triginta diebus concluduntur (1). Ea porro ex regulis Ecclesiasticis modo laxantur, modo restringuntur pro rerum, et locorum qualitate (2). *Peremtoria* citatio est, quae instar est omnium simul simplicium, quarum spatium restringit, easque ita perimit, ut, si ad constitutum diem citatus non comparuerit, contumax habeatur (3).

Porro quo citatio justa sit, pluribus in ea expedienda est opus I. Fieri debet, instante parte. Tantum in publicis judiciis Judex ex officio procedit (4). II. Continere debet nomen judicis competentis, sive ordinarii, seu delegati (5); et delegatus suae delegationis litteras inserere jubetur (6). Cum enim citatio ex jurisdictione descendat, nisi reus noverit judicem jubentem, et nisi litteras delegationis perviderit, de jurisdictione certus esse non poterit. III. Exprimendum est nomen, et cognomen citati, ne in ancipiti persona viator decipiatur. IV. judicanda est lis, et causa, propter quam reus in jus venire jubetur, ut deliberare possit, contendere ne, an cedere judicio velit (7). V. Judicii locus citatoriis litteris designari debet, ut reus de accessus securitate sibi prospicere queat. Incivile enim est, reum ad locum non tutum citare (8). VI. Inserendus quoque est dies judicio

(1) *Novell. 112. cap. 3.*
(2) *Cap.* Cum olim 7. *de Dol. et contumac.* e ꝫ.
(3) *l. 70. et 72. ff. de Judic.*
(4) *Cap.* Qualiter 17. *de Accusat* e ꝫ.
(5) *Clement.* Cum lite 2. *Ut lit. pendent.*
(6) *Cap.* Praeterea 2. *de Dilation.* e ꝫ.
(7) *d. Cap.* Praeterea *eod.*
(8) *Clement. 2. de Sent. et Re judic.*

dictus, qui feriatus esse non debet. Feriaticis enim diebus judicia conquiescunt, nisi litigatores sponte sua judicem adeant (1). VII. Denique per viatorem, seu publicum nuncium citationem reo denunciari oportet vel in faciem, si ejus copia sit, vel ad Ecclesiam (2). Quod si reus absit, per edictum evocabitur (3): atque ubi in alieno territorio degat, sine auctoritate judicis territorialis citatio fieri non potest, ne usurpari jurisdictio videatur.

Citationis rite peractae quamplures effectus in jure memorantur. Ita quidem post citationem lis ad ejus judicis jurisdictionem pertinet, cujus jussu citatio fuit expedita. Proinde si quis, postquam in jus vocatus est, alterius fori esse coeperit, in ea causa jus revocandi forum non habebit (4). Propterea per citationem praescriptio interrumpitur (5), lis *pendere* dicitur (6), res litigiosa evadit (7), et quaevis innovatio *attentatum* censetur, quod Judici vel nudo verbo revocari licebit (8).

—

(1) *Cap. ult. de Fer.* e ꝯ.
(2) *l. 13.* §. *1. ff. de Excusat. Tutor.*
(3) *Cap.* Venerabilis 10. *de Dol. et Contumac.* e ꝯ.
(4) *l.* Si quis 7. *ff. de Judic.*
(5) *l.* Sicut 3. *C. de Praescript.*
(6) *Clement.* Cum lite 2. *Ut lit. pendent.*
(7) *Auth.* Litigiosa *C. de Litigios.*
(8) *Faber. Cod. lib. 1. tit. 10.*

TITULUS XIII.

De Dolo, et Contumacia.

Ex quacumque causa ad Judicem, qui jurisdictioni praeest, in jus vocatus venire debet (1). Si quis in jus vocatus, nulla intra praestitutum tempus excusatione proposita, nec per se, nec per alium se judicio sistat (2); vel, cum venerit, Judici obtemperare detrectaverit (3); aut sine Judicis venia susceptum judicium deseruerit (4), *contumax* fiet. Contumacia autem, modo manifestus dolus absit, impedimento probato, purgari facile potest, uti rescripsit Alexander III. (5).

Pluribus autem poenis contumaces coërceri Pontificibus placuit. Et actor quidem si intra praestitutum reo terminum se judicio non sistat, et in litis sumtus condemnabitur, et ad aliam citationem non admittetur, nisi sufficienter caverit, se in termino in jus venturum (6). Praeterea, actore citato non comparente, in causa procedere licet, et definitivam sententiam pronunciare (7). Quod vero ad reum attinet, interest, utrum is ante litem con-

(1) *l.* Ex quacumque 2. *ff. Si quis in jus voc. non ierit.*
(2) *l.* Contumacia *ff. de Re judic.*
(3) *l. un.* Si quis jus dicent. non obtemper.
(4) *Cap.* Causam 3. *h. t. eꝫ.*
(5) *Cap.* Querelam 2. *de Procurator. eꝫ.*
(6) *Cap.* Actor. 1. *h. t. in VI.*
(7) *Cap.* Causam 3. *eod. eꝫ.*

testatam, an contestata lite contumax evaserit. In priori specie si actio realis sit, actor mittitur in possessionem bonorum controversorum; si personalis fuerit actio, actor mittitur in possessionem rerum mobilium, vel immobilium, si illae desint, pro debiti quantitate. Quod si contumax intra annum, expensis refectis, cautionem praestiterit, se judicio stiturum, possessionem recuperabit. Non praestita per annum cautione, actor novo decreto rerum petitarum verus possessor constituetur, relicta reo dominii lite (1). Ubi vero reus post litem contestatam contumax fiet, et ex actis de controversia liqueat, judex sententiam pronunciabit; si de controversia non liqueat, actorem in veram possessionem mittet, reservata reo proprietatis quaestione (2).

Praeter poenas hucusque contra contumaces memoratas, ad dolum, et contumaciam coërcendam alias Pontificibus sancire placuit. Ita Alexander III. possessionis sequestratione contumaces coërcuit (3); et Innocentius III. expensas ab adversario in judicio factas a tempore citationis emissae contumaces solvere jussit (4). Quin idem Pontifex excommunicationem adversum contumaces infligi voluit, ubi alia juris remedia inutilia evaserint (5). At Tridentini Patres ea tantum in specie excommunicari contumaces voluerunt, ubi Judex neque

—

(1) *Cap.* Quoniam 5. *Ut lite non contest.* e ꝗ.
(2) *Cap.* Prout nobis 4. *h. t.*
(3) *Cap.* Ex litteris 2. *eod.*
(4) *Cap.* Cum dilecti 6. *eod.*
(5) *Cap.* Tuae fraternitatis 3. *Ut lite non contest.* e ꝗ.

reali, nec *personali* executione eos coërcere poterit (1).

TITULUS XIV.

De Exceptionibus.

Exceptio est actionis exclusio (2). Ea vel *dilatoria* est, vel *peremtoria*. Dilatoria, quae et *temporalis* appellatur, ad tempus nocet, et litem differt. Peremtoria, quae *perpetua* dicitur, semper agenti obstat, et litem perimit. Dilatoriae exceptiones ante litem contestatam plerumque opponi debent: peremtoriae vero in quovis litis articulo ante sententiam recte opponuntur; quamvis ipsarum nonnullae post ipsam sententiam opponi queant.

Dilatoriae exceptiones vel judicem respiciunt, vel actorem, vel reum, vel ipsam causam. Ex judicis persona promanat fori praescriptio, et suspecti judicis exceptio. Adversus actorem datur exceptio *legitimationis* personae, qua asseritur, ipsum non habere legitimam personam standi in judicio (3). At reo datur *exceptio hostici*, *laudatio auctoris*, et *exceptio compromissi necessarii*, de quibus alibi satis superque disputavimus.

Celebris quoque est in Jure Ecclesiastico exce-

---

(1) *Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 3.*
(2) *l.* Exceptio 2. *ff. h. t.*
(3) *l.* In rebus 2. *C. Qui legitim. person.*

ptio *excommunicationis majoris*, quae in quavis litis parte opponi potest (1), et exceptio *spolii*. In Concilio Lugdunensi cautum fuit, ut, si quis in jus vocatus exceperit, actorem majori excommunicationi esse obnoxium, quocum communicare nolit, intra octo dies probet, et actorem excommunicatum, et eam subiisse excommunicationis speciem: id ni fecerit, judex litem definiet, reum in expensas damnabit, quas actor octo memoratis diebus se fecisse docuerit. Ultra duas vices eamdem excommunicationem opponi vetuerunt iidem Patres, nisi evidens fuerit probatio (2). Ceterum ubi sententia de quaestione principali sit a judice pronunciata, actor licet excommunicatione devinctus, provocare non prohibetur (3). Quae autem adversus actorem datur excommunicationis exceptio, reo non nocet; quippe qui invitus in judicium venire cogitur. Tantum reconventionem ipsi denegavit Innocentius III. (4).

Opposita autem *spolii* exceptione, reus actori non respondet, nisi prius in pristinum statum restituatur cum causa. Spolium dixere Pontifices dejectionem a possessione, vel quasi possessione injuria factam, seu per vim fuerit id factum, seu auctoritate judicis, juris ordine non servato (5). Isthaec porro exceptio intra quindecim dierum spatium probari debet: quibus elapsis judex in causa

(1) *Cap.* Exceptionem 12. *de Except.* e ꝫ.
(2) *Cap. 1. eod. in VI.*
(3) *Cap.* Significaverunt 11. *eod.* e ꝫ.
(4) *Cap.* Cum inter 5. *eod.* e ꝫ.
(5) *Cap.* Conquerente 7. *de Restitut. Spoliat.*

procedet (1). In causis civilibus hujusmodi exceptione adversus dejectorem utimur: tertio possessori ea non nocet. At in criminali judicio spoliatus adversus tertium possessorem excipere non prohibetur, modo probet, se ab omnibus suis bonis, aut certe majori parte dejectum (2).

Non solum exceptionibus, sed et mutuis petitionibus reus adversus actorem experiri potest. Mutua petitione, seu *reconventione* reus non excludit actoris intentionem, sed potius actionem veluti retundit specie quadam compensationis. Reconveniunt autem omnes, quibus agendi jus est. Quare excommunicatus, qui in jus vocatus excipere non prohibetur, reconvenire frustra postulat (3). Reconventio porro apud judicem ipsum proponi debet, apud quem actio fuit instituta (4). Id ideo receptum, ut actor eundem haberet judicem, *cujus in agenda observavit arbitrium* (5).

Illud heic adverti debet, reconventionem in plerisque causis locum non habere. Ita in judiciis criminalibus reconventioni locum non esse, voluere Principes (6), nisi criminali judicio principali lis pecuniaria adjungatur: ea enim in specie judex utramque litem definiet (7). Praeterea in causa de-

---

(1) *Cap. 1. de Except. in VI.*
(2) *d. Cap. in VI.*
(3) *Cap.* Cum inter 5. *eod. e*§.
(4) *Cap. 3. de Rescript. in VI.*
(5) *l. 14. C. de Sent. et interlocut.*
(6) *l. 19. C. de His, qui accus. non poss.*
(7) *l. 3. C. de Ord. Judic.*

positi reconvenire depositario non licet (1); quemadmodum et coram arbitris (2), et coram judice laico de re spirituali reconventioni locus non datur. Postremo in interdicto *unde vi* reconventionem admitti non placuit (3).

TITULUS XV.

De Litis Contestatione.

Fundamentum judicii est litis contestatio. Ea est congressio veluti ad pugnam, cum superiora sint quasi provocatio. Lis autem contestatur per petitionem in jure, ac responsionem consequentem, cui insit animus contendendi. Contendendi animus semper praesumitur, nisi declaratione contraria excludatur. Quibus porro in causis litis contestatione est opus, eam ultra viginti ab oblato libello dies actor differre non debet.

Jam post litis contestationem omnes incipiunt esse malae fidei possessores (4); procuratores dominium litis nanciscitur (5); usucapio, et praescriptio a reo inchoata interrumpitur (6). Post ipsam litis contestationem temporariae actiones morte periturae fiunt perpetuae, i. e. ad annos qua-

—

(1) *Cap. ult. de Depos.* e ☧.
(2) *Cap. 6. de Arbitr.* e ☧.
(3) *Cap. de Restit. Spoliator.* e ☧.
(4) *l.* Etsi 25. *ff. de Heredit. petit.*
(5) *l.* Procuratoribus 22. *C. de Procurat.*
(6) *l.* Nec bona 10. *C. de Praescript. long. temp.*

draginta extenduntur (1); et excluduntur exceptiones dilatoriae, quibus reus renunciasse censetur (2). Postremo in causa reconventionis, lite contestata, locum non habet exceptio judicis non competentis (3).

TITULUS XVI.

De Juramento calumniae.

Quo calumniis aditus in judiciis praecluderetur, placuit Principibus, et Ecclesiae Patribus, sacramenti religione adstringere litigantium fidem, ut divinae ultionis metu a calumniosis consiliis absterrerentur. Itaque ubi judici visum fuerit, defertur actori, et reo juramentum, quo actor jurat, se non calumniandi animo litem movisse; reus vero jurat, se bona suae causae opinione obsistere adversario (4). Hujusmodi juramentum si litigantes jurare detrectaverint, actor quidem causa cadet, reus vero pro confesso habebitur (5). Ceterum si calumniae juramentum a judice non fuerit delatum, processus ea de causa non infirmabitur (6). De calumnia autem in omnibus causis juratur, non exceptis spiritualibus, et causis appellationis (7).

---

(1) *l.* Saepe *C. de Praescrip. 30. vel 40. annor.*
(2) *Cap.* Inter Monasterium *de Sent. et re judic. e* ꝫ.
(3) *Nov. XCVI. cap. 2.*
(4) *l. 4. C. de jurejur. propt. calumn.*
(5) *Cap.* Cum in causa *ult. h. t. e* ꝫ.
(6) *Cap. 1. §. 1. eod. in VI.*
(7) *Cap.* In appellationis 2. §. 1. *eod. in VI.*

Praeter calumniae juramentum in singulis judiciariis actis speciale jusjurandum, prout aequum judici videbitur, deferri potest, *malitiae juramentum* a Bonifacio VIII. nuncupatum (1). Veteribus Romanis id juramentum non fuit ignotum (2). At Justinianus calumniae jusjurandum in una eademque causa satis esse putavit (3). Quidquid autem Romani juris sit, Bonifacius VIII. malitiae juramentum firmavit (4). Huc referri potest jusjurandum *in animam alterius*, quod per vicariam alterius operam juratur. Ex quo Marcianus Imperator CPolitanos clericos jurare vetuit (5): et Henricus II. clericis, et monachis occidentalibus privilegium concessit, quo in quovis judicio ad sacramentum jurandum compelli non possent, sed suis advocatis id munus delegarent (6): juramentum *in alterius animam* passim receptum, quod Honorius III. Pontificia auctoritate firmavit (7). Ubi vero in alterius animam juratur, speciali opus esse mandato, voluit Bonifacius VIII. (8).

---

(1) *d. Cap. 2. in VI.*
(2) *Vid. Bohemer. jur. Ecclesiast. lib. III. tit. 7.*
(3) *Novell. XLIV. cap. 3.*
(4) *d. cap. 2. h. t. in VI.*
(5) *l. 25. §. 1. C. de Episc. et Cleric.*
(6) *Leg. Longobard. lib. II. tit. 47.*
(7) *Cap.* Inhaerentes 1. *h. t. eg.*
(8) *Cap.* Nullam 3. *eod. in VI.*

TITULUS XVII.

De Probationibus.

Lite contestata, per probationes de controversia, et facti veritate judici constare debet. Probatio omnis in plenam, et semiplenam dividitur. Plena probatio plenam Judici fidem facit de re, qua de agitur. Hujusmodi censetur testimonium duorum hominum omni exceptione majorum (1), confessio in jure, i e. ad Judicis tribunal (2), et jusjurandum ab uno litigatore alteri delatum, et juratum (3). Semiplena probatio fidem aliquam judici facit, at rem extra dubium non ponit, ac potius opinionem injicit. Hujus generis ad testimonium unius testis, fama privatae scripturae, et alia hujusmodi.

Probandi onus illi incumbit, qui asserit. Quare actor in judicio, non reus probandi onus suspicit. Actoris autem est, probare non tantum, quare asseruit, sed et quae negavit, ubi ex negatione petitio oritur. Ita si quis beneficium repetat, cui per vim et metum renunciasse affirmaverit, renunciationem per vim factam probare cogitur (4). Reus vero, ubi contra actoris petitionem excipiat, exce-

(1) *Cap.* Ex litteris 3. *h. t.* e ꝟ.
(2) *Cap.* Cum super 2. *de Confess.* e ꝟ.
(3) *l. 1. et 2. ff. de jurejur.*
(4) *Cap.* Super 5. *de Renunc.* e ꝟ.

ptionem, quae adfirmatione innititur, probare debet (1).

Pleraeque in jure occurrunt probationum species. In hunc censum veniunt confessio in jure, testes, instrumenta, jusjurandum, praesumtiones. Et confessio quidem reliquis probationum speciebus anteponitur; ut confessus in jure pro judicato habeatur (2). Illud autem certum est, confessionem plenae probationis vim non habere, nisi coram judice competente fiat (3), neque per errorem fuerit emissa (4), neque per vim, aut metum extorta (5). Ceterum, quo per confessionem de veritate in judiciis constaret, introductae sunt *positiones*, sive *articuli* non totam causam, sed facta quaedam respicientes, quae ad causam pertineant, ut, iis confessione adversarii constitutis, pateat alteri, quid sibi deinceps probandum sit, quidve in probatis habendum (6) Quod si quis positionibus respondere detrectet, in articulis propositis pro confesso habebitur (7); nisi interrogationes perplexae fuerint, aut dubiae, captiosae, obscurae, vel ad causam non pertinentes.

Ubi res confessione non clarescit, vestiganda est aliis argumentis, atque inquirenda vel testibus, vel scripturis, vel jurejurando, vel praesumtioni-

---

(1) *L. 19. ff. de Prob.*
(2) *l. 1. ff. de Confess.*
(3) *Cap.* Etsi 4. *de judic.* c ☧.
(4) *Cap.* Ex parte 3. *de Confess.* c ☧.
(5) *Cap.* Causam 17. *de Offic. jud. deleg.*
(6) *Cap.* Statuimus 1. *de Confess. in VI.*
(7) *Cap.* Si post 2. *eod. in VI.*

bus. *Testes* dicuntur, qui rogantur ad fidem dictis faciendam, et quod ab ipsis dicitur, *testimonium* nuncupatur. Munere testis in judicio fungi tantum ii possunt, qui sunt fide digni, atque omni exceptione majores, quique per leges, et canones a dicendo testimonio non prohibentur (1). Tempus producendorum testium est post litem contestatam (2); nisi de causa matrimonii, electionis, vel inquisitionis agatur, aut forte de ipsorum morte, absentiave timeatur (3). Judex porro productos intra terminum testes citare debet, quibus adversarius citatus objiciet, si quid objiciendum habebit (4). Antequam testimonium testes dicant, jurare coguntur, se non odio, neque gratia, sed unius veritatis studio ad testimonium dicendum accessisse (5). Injuratis testibus non creditur, nisi eis jusjurandum adversarius remiserit (6). Quod si testes citati testimonium dicere recusent, per excommunicationem laici, per suspensionem ab officio, et beneficio clerici compelluntur; qui si adhuc in pertinacia persistant, excommunicationis, aut depositionis sententia percelli possunt (7). Ceterum qui se testimonium non dicturum juravit (8); quique sacerdos de auditis in confessione interrogatur,

(1) *Cap.* Placuit 1. *de Testib.* *e* ꝫ.
(2) *Cap.* Accedens 2. *Ut lit. non contest.* *e* ꝫ.
(3) *Cap. ult. de Test. Cap.* Novit 13. *de judic.*
(4) *Cap.* In nomine Domini 2. *de Testib.*
(5) *Cap.* Quoties 5. *Cap.* Nuper 51. *de Testib.* *e* ꝫ.
(6) *Cap.* Praesentium 31. *eod.*
(7) *Cap.* In nomine 2. *eod.* *e* ꝫ.
(8) *Cap.* Cum a nobis 28. *eod.*

a testimonio dicendo impune abstinere possunt (1).

Quo plena probatio habeatur, duo saltem testes in quolibet negotio requiruntur, qui contestes esse debent, non singulares (2). Ultra quadragenarium autem numerum testium excurrere Judex non debet (3). Illud porro certi juris est, publicatis testimoniis, nihil adversus testes objici posse; nisi reus juret, se id non dolo facere, vel ante publicationem fuerit protestatus, vel ostendat, se nisi post publicationem non didicisse, quod in testium personas objiceret (4). Ceterum testimonia in uno judicio ordinario recepta, in alio fidem faciunt pro eadem causa, atque inter easdem personas; sed recepta in summario non probant in plenario (5).

Porro testes plenam probationem faciunt, si a dicendo testimonio non excludantur. Plerique profecto in omnibus causis testimonium dicere prohibentur: nonnullis in certis tantum causis, et contra certas personas testes esse non licet. Ita a dicendo testimonio in omnibus causis repelluntur amentes, impuberes, et minores XX. annis in criminalibus judiciis (6). Quin Judaei, pagani, haeretici contra Catholicos (7), excommunicati (8),

(1) *Cap. 12. de Poenit., et Remission. eῃ.*
(2) *Cap.* Licet 33. *de Testib.*
(3) *Cap.* Cum causa 42. *eod.*
(4) *Cap.* Cum venissent 25. *Cap.* Praesentium 31. *eod.*
(5) *Cap.* Pervenit 4 *de Test. cog.*
(6) *l. 3.* Testium 3. §. 5. *l.* In testimonium 20 *ff. de Testib.*
(7) *l. 21 C. de Haeret. Cap. 1 de Haeret. eῃ.*
(8) *Cap. 8. de Sent. Excomm. in VI.*

perjuri (1), infames sive *juris* (2), sive *facti* (3), criminibus obnoxii, licet nondum damnati (4) dicere testimonium non possunt. Mulieres autem a testimonio in judicio criminali dicendo repelluntur ex lege Julia, ubi corpore palam quaestum faciant (5); in judicio civili recte testantur (6). Quod vero ad eos, qui in certis causis testes esse prohibentur, qui sunt de familia, nisi probatae sint fidei, et opinionis (7), et nisi aliunde veritas probari possit; laici in criminali Clericorum judicio (8); procuratores, et advocati in causis, quibus operam suam praestant (9); Clerici, ac Monachi in causis profanis laicorum sine suorum antistitum venia; postremo quilibet in propria causa (10) testimonium dicere non possunt.

Eamdem, ac depositiones testium, in litibus exercendis vim obtinet fides instrumentorum (11). Probationes itaque quemadmodum a testibus, ita et a scripturis eliciuntur, quae strictiori notione *instrumenta* nuncupantur. Instrumentorum alia *publica* sunt, alia *privata*. Publica sunt, quae a persona publica, veluti tabellione, ac notario publico

—

(1) *Cap.* Ex parte 7. *de Testib.* e ꝟ.
(2) *l.* Ob carmen 21. *ff. de Testib.*
(3) *Cap.* Ex parte 7. *et ult. eod.*
(4) *Cap. 10.* Veniens *et 54. eod.* e ꝟ.
(5) *l.* Testium 3. §. 5. *ff. eod.*
(6) *l.* Ex eo 13. *ff. eod.*
(7) *Cap.* In litteris 24. *eod.* e ꝟ.
(8) *Cap.* De cetero 14. *eod.* e ꝟ.
(9) *Cap. ult. eod. in VI.*
(10) *l. 10. ff. eod.*
(11) *l.* In exercendis 16. *C. de Fide Instrument.*

ex juris forma conscribuntur, expresso die, ac consule, loco contractus, inscriptisque testium nominibus, ac subscripto nomine tabellionis (1). Publica quoque censeri placuit, quae a persona publica non fuerunt conscripta, at publico, et authentico sigillo sunt obsignata (2), quaeve a publicis tabulariis, vel archivis extrahuntur (3). Quin et publicae scripturae effectum sortitur, quae trium testium subscriptionem praesefert (4). Scripturae autem privatae, si libros mercatorum, et rationes sociorum excipias, contra scribentem plenam fidem faciunt, modo causa debiti sit expressa (5). Ceterum ipsis publicis scripturis non creditur, ubi legi non possint (6), contradicentia contineant (7), rasa in locis majoris momenti appareant (8), vel falsa per testes evidenter probentur (9): qua quidem postrema in specie sententia intra viginti annorum intervallum retractari potest (10).

Deficientibus aliis probationum speciebus, ad jusjurandum deveniri solet, quod maximum est litium finiendarum remedium (11). Jusjurandum,

---

(1) *Cap.* Inter dilectos 6. *de Fide Instrument.* e ℥.
(2) *Cap.* Scripta 2. *eod.*
(3) *Cap.* Ad audientiam *de Praescript.* e ℥.
(4) *l.* Qui scripturas *C. qui potior. in Pignor.*
(5) *l.* 25. §. *ult. ff. de Probat.*
(6) *Cap.* Inter 6. *de Fide Instrum.* e ℥.
(7) *Cap.* Imputari 13. *eod.*
(8) *Cap.* Ex litteris 3. *eod.*
(9) *Cap.* Cum Joannis 10. *eod.*
(10) *l. 12. C. ad leg. Cornel. de Fals. Cap. 6. de Except.* e ℥.
(11) *Cap.* Etsi Christus *de Jurejur.* e ℥.

quod a Tullio dicitur *affirmatio religiosa*, est Divini Numinis advocatio in testem ejus rei, quae asseritur. Vel voluntarium, vel judiciale est juramentum, vel necessarium. Voluntarium nullo cogente juratur, sed voluntate tantum ejus, cui vel defertur, vel refertur. Judiciale, judice adprobante, in judicio defertur, quod vel suscipi, vel referri oportet: suspiciosum est enim jurare nolle, nec juramentum referre (1). Necessarium denique juramentum, quod et *suppletorium* dici consuevit, probatione deficiente, defertur actori, vel reo, ut inde veritas eliciatur (2). Si alterutra pars jurare recusaverit, pro confessa habebitur.

Praesumtionibus quoque probationes in judiciis fiunt. *Praesumtionis* nomine designatur anticipata de re dubia opinio ex argumentis, indiciis, et conjecturis orta, quae pro veritate habetur, donec oppositum doceatur. Aliae sunt *hominis*, i. e. judicis, aliae *juris* praesumtiones. Praesumtio hominis est opinio in alicujus mente ab indiciis nata, quae nulla lege continetur. Juris praesumtio alia est *juris* tantum, alia *juris* et *de jure.* Praesumtio juris tantum in jure continetur expressa, sed contrariae probationi locum relinquit. Ita quod Episcopo ab extraneo relinquitur, intuitu Ecclesiae relictum intelligitur (3). Item ex cancellato chirographo solutio facta praesumitur (4). At *juris* et *de jure praesumtio* non

---

(1) *l.* Manifeste *ff. de Jurejur.*
(2) *l.* Admonendi *ff. eod.*
(3) *Cap.* Requisisti 15. *de Testam. e* ..
(4) *l.* Si chirographum *ff. de Probat.*

modo habetur in corpore juris; sed ita certa censetur, ut contrariae probationi nullum locum relinquat. Ita contractum matrimonium praesumitur, ubi quis post inita sponsalia cum sponsa concubuit (1).

TITULUS XVIII.

De veteri Judicio Criminali Ecclesiastico.

Ecclesia antiquitus in ordine judiciario criminali exercendo nil a Romano jure discessit. Quare ab accusatione judicium inchoabatur, quae libello inscripta Episcopo, vel Synodo pro personarum diversitate offerri consuevit. Sine accusatore nemo criminale judicium subibat (2). Tantum accusatore opus non erat, ubi delicta forent publica, aut quis sponte sua proprium crimen deferret (3). Ne quid porro per calumniam in judicium deduceretur, illud maximopere apud veteres cavebatur, ne cujuslibet accusationibus locus daretur. Proinde sedulo quaerebatur, quis esset accusator, qua fide, quibus moribus praeditus, et qua de causa in jus venisset.

Accusator autem repellebatur, nisi in crimen inscripsisset. Per *inscriptionem* in crimen accusator profitebatur, se Cajum ex hac, vel illa lege

(1) *Cap.* Is, qui 30. *de Sponsal. e* ꝟ.
(2) *Can. 5. et seqq. c. III. q. 9.*
(3) *Can. 18. c. II. q. 1.*

deferre, cavebatque, se usque ad sententiam in judicio mansurum. Inde fiebat, ut *tergiversator*, i. e. qui, criminis abolitione non impetrata, a judicio discedebat, ex SCto Turpiliano infamia notatus extra ordinem coërceretur (1). Per *subscriptionem* vero accusator, nisi delatum crimen probaret, talionis poenam subibat. Hinc in Concilio Chalcedonensi Paschasinus Pontificis Legatus de Theodoro Dioscori accusatore inclamavit: *si confidit probare ea, quae ingerit adversus Dioscorum, proprio ore confiteatur, si non vult regularem adversum se converti sententiam* (2).

Accusatus in jus vocandus erat, quem non semel, sed iterum, ac tertio per apparitorem citari oportebat, ne inauditus damnaretur. Ita Eutyches, Dioscorus ter ad Concilium vocati, et Nestorius etiam quater a Patribus Ephesinis fuit citatus. Ipse autem reus in judicio se sistere debebat; procurator frustra ejus vice fungebatur. Absentium vero excusationes facile admittebantur, dilato interim judicio; quod a regulis Romani juris nil discrepabat (3). Ubi porro reus in jus vocatus se judicio non sisteret, uti contumax damnabatur. Ea de causa Nestorius depositionis sententiam subiit in Concilio Ephesino (4), et Dioscorus a Patribus Chalcedonensibus Episcopatu, atque omni sacerdotali ministerio dejectus est (5).

---

(1) *l. 2. C. ad SC. Turpil.*
(2) *Conc. Chalced. Act. III.*
(3) *l. 13. §. 1. ff. de Public. Judic.*
(4) Cyrill. Alex. *ep. ad Cler. Alexandr.*
(5) *Conc. Chalced. Act. III.*

Reo in jus vocato, judicium instruebatur ex testibus, instrumentis, atque indiciis. Praesens reus de criminibus objectis interrogatus respondere cogebatur, cui jus erat contra testes, et instrumenta excipiendi. Accusationibus, et rei exceptionibus expensis, sententia ferebatur, quae et sollemniter publicari solebat, et reo absenti per litteras significari.

Porro in quolibet judicio duo, aut tres testes sufficiebant, modo probatae fidei forent. Isthaec disciplina non modo civili jurisprudentiae, sed et sacris institutis erat consentanea (1). Ad rem unus ex canonibus Apostolicis: *In testimoniis adversus Episcopum haereticus ne admittatur, sed nec unus solus fidelis: in ore duorum, vel trium stabit omne verbum.* Et Patres Bracharenses fornicationis crimen duobus, aut tribus testibus probari oportere edixerunt (2). Ceterum quamvis haec vera sint, invaluit tamen deinceps disciplina, ad clericos damnandos duorum, aut trium testium verba non sufficere (3).

---

(1) *Deuteron. XIX. 15. Matth. XVIII. 16.*
(2) *Can.* Placuit 1. *C. II. q. IV.*
(3) *Can.* Praesul. 2. *eod.*

TITULUS XIX.

De Purgatione Canonica, et Vulgari.

Purgationis nomine in jure Ecclesiastico designatur innocentiae propriae demonstratio, qua et culpa removetur, et factum negatur, ac falsitatis arguitur. Alia est purgatio *canonica*, alia *vulgaris*. Canonica purgatio recepta per canones est sollemnis praestatio juramenti, adhibitis sacramentalibus, quo ab objecto crimine clericus purgabatur. Vulgari purgatione innocentia demostrabatur modis vulgo receptis, veluti duello, ferro candenti, et aliis hujusmodi. Primum de canonica, deinde de vulgari purgatione pauca delibabimus.

Canonica purgatio a Christianorum institutis orta videtur. Nimirum usque a IV. Ecclesiae seculo mos apud Christianos invaluit, apud reliquias Martyrum sanctissima jurandi sacramenta, ea potissimum de causa, quod Deus adversus perjuros animadverteret. Inde ad innocentiam probandam ad martyrum reliquias juramenta passim recepta, quibus Deus veritatem demonstraret, quaeque *divina judicia* haberi coeptarunt (1). Hujusmodi juramentum, quod olim unis laicis, tractu temporis clericis quoque patuit (2). Quin non solum infe-

---

(1) *Can. 1. C. XXXIII. q. 1. Cap.* Laudabilem 5. *de Frigid. et melefic. e*𝔤.

(2) *Can.* Presbyter 5. *C. II. q. 5.*

riores clerici, sed et Episcopi de criminibus suspecti juramentis se purgabant.

Ita quidem per longum temporis intervallum purgatio canonica stetit. Tum moribus receptum, ut alii testes adhiberentur, qui jurarent, se credere, accusatum vera jurasse. Hujusmodi testes *compurgatores*, *conjuratores*, *sacramentales* audierunt, qui ejusdem conditionis, et integrae famae esse debebant (1). Ii ut plurimum tres, quinque, aut septem advocabantur: quod apud veteres effertur per formulam, *tertia*, *quinta*, *septima manu* jurare (2). *Manus* autem appellatio inde invecta, quod jurantes vel porrectis manibus, vel sacrosanctis Evangeliis, vel Martyrum reliquiis tactis, juramentum emitterent (3). Ceterum isthaec purgatio ab usu recessit.

Praeter canonicam purgationem vulgaris etiam in usu fuit frequentissimo. Scilicet ad veritatem detegendam duello, ferro candenti, aqua seu calida, seu frigida usi sunt veteres. Duello reus, si victor discessisset, innocens censebatur; quod secus erat, si victus cecidisset. Judicium ferri candentis subditurus ignitum ferrum manu stringebat: si illaesus inde evasisset, innocens discedebat, si combusta manus foret, objecti criminis arcessebatur. Non absimile erat judicium per vomeres ignitos, et per rogum accensum. Qui reus accusabatur, per ignitos vomeres longa serie dige-

(1) *Cap.* Cum dilectus *de Purg. Canon.* e§.
(2) *Vid. Cang. v.* Jurare.
(3) *Bignon. ad Marculf. Formul. lib. I. c. 38.*

stos nudis pedibus ambulabat, aut per rogum accensum transibat: si illaesus inde excessisset, innocentiam suam ea ratione demonstrabat. Judicium aquae ferventis ab eo suscipiebatur, qui in aquam ferventem nudum brachium immittebat. Si illud illaesum extraxisset, innocens; si contra accidisset, reus habebatur. Postremo per aquam frigidam judicium habebatur, ubi quis in frigidam aquam dejiciebatur. Inde si enataret, reus, si in profundum descenderet, innocens dicebatur. Qui hujusmodi judicium subibant, fune illigati mergebantur, ut facile extrahi possent.

Jam vero *judicia Dei*, nisi sacro ritu praeeunte, non suscipiebantur. Ita post triduanum jejunium, pluresque preces recitatas *missa judicii* celebrabatur; in qua corpus et sanguis Christi judicium suscepturo dabatur. Tum facta per sacerdotem aquae, aut ferri adjuratione, probaturus vestes exutus Evangelium, et crucem osculatus, judicium subibat (1).

Seculo XII. et deinceps, vulgarium purgationum vanitate intellecta, *judicia Dei* explodi coeperunt. Licet ante eam aetatem Gregorius M., et Stephanus V. vulgares purgationes tamquam superstitiones rejecerint (2), et Ludovicus Pius eas omnino in posterum adhiberi prohibuerit (3); ipsae tamen seculo XII. adhuc stabant, et veritati in judiciis demonstrandae inserviebant. Quare Alexan-

---

(1) Cangius *v.* judicium Dei.
(2) *Can.* Consuluisti 20. *C. II. q. 5.*
(3) *Capitul. Lud. R. an. 809. c. 12.*

der III., Innocentius III., atque Honorius III. quo superstitiosas purgationes radicitus evellerent, eas omnino proscripserunt (1). Inde judiciis nova ratio accessit, civilibus, et Ecclesiasticis institutis accommodatior.

TITULUS XX.

De Judicio Criminali Ecclesiastico ex Jure novo.

Judicia criminalia ex jure Decretalium vel per accusationem instituuntur, vel per denunciationem, vel per inquisitionem. Accusatione crimen accusatorio libello apud competentem judicem defertur, facta in ipsum inscriptione, et subscriptione. Ea per accusatorem expeditur, exclusa vicaria procuratoris opera. Tantum si de crimine civiliter agatur, vel per denunciationem instituatur judicium, procurator in jus venire non prohibetur (2).

Alter judicium criminale instituendi modus *denunciatio* dicitur. Ea occulti criminosi apud Episcopum deferuntur, quo admonitionibus resipiscant. Fit autem denunciatio secreto, ac sine libello. Quin qui denunciat, in crimen subscribere non cogitur, quia crimen delatum probare non compellitur (3). Sed licet haec vera sint, moribus

---

(1) *Cap.* 1. 2. *et* 3. *de Purg. vulg. e* ꝟ.
(2) *Cap.* Tuae 5. *de Procurat. Cap.* Super 16. *de Accusat. e* ꝟ.
(3) *Cap.* Super his 16. *de Accusat. e* ꝟ.

receptis per solam denunciationem criminale judicium instituitur. Ea enim accepta, Judex per inquisitionem ex officio procedit; ut proinde hodie denunciatio ab accusatione vix quidquam differre videatur.

Inquisitione autem Judex sine ullo accusatore ex officio judicium instituit adversus eum, qui criminis per publicam famam arcessitur: *Sicut accusationem legitima praecedere debet inscriptio; sic et denunciationem caritativa monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio praevenire*, ait Innocentius III. (1). Hujusmodi criminalis judicii modus veteribus ignotus (2). Primus fortasse Innocentius III. inquisitionem judicialem invexit. Ceterum moribus hodiernis in foro et civili, et Ecclesiastico inquisitio ordinarius procedendi modus habetur.

Porro accusatione, aliove modo judicio instituto, Judex, audito *Fisci promotore*, in crimen inquirit, h. e. *informationem* exequitur. In ea expedienda duo potissimum scrutatur; alterum, delictum fuisse patratum; alterum quis illud admiserit; quorum illud *delictum in genere*, hoc *delictum in specie* a Pragmaticis appellatur. Haec duo per testes, tabulas, et indicia probantur. In hisce autem investigandis, summam diligentiam Judex adhibere debet, ne aut reo defensiones suppeditentur, vel minuantur, aut poena mitior, graviorve irrogetur.

---

(1) *Cap.* Qualiter 24. *eod.*
(2) *Can. 18. C. II. q. 1.*

Inquisitione peracta, Judex religione sua decernet, utrum reus in carcerem detrudi, an fidejussoribus, vel sibi committi, vel tantum in jus venire debeat interrogationibus responsurus. Id autem ex rei qualitate, ex criminis gravitate dimetietur (1). Si judici videbitur, reum non esse carceribus mancipandum, eum vel *personali* seu *ad informandum*, vel *simplici* sive *ad deponendum* citatione in jus vocabit. Prima citatio locum habet in criminibus gravioribus, altera in levioribus adhiberi solet. Simplex quoque citatio est, quae dicitur *ad dicendum causam, quare*, quae decerni solet, ubi excommunicatio, vel alia censura sit irroganda. Ceterum in omni citatione judicis nomen, judicii locus, causa citationis, et terminus adscribi debet, quo se reus judicio sistat.

Porro ubi reus in jus vocatur, intra terminum praestitutum ad Judicem venire debet. Procurator in criminali judicio non admittitur, quia poenae suos tenent auctores. Tantum si quis etiam sine mandato in jus veniat absentis excusationes allegaturus, audietur (2). Jure autem municipali universitates, ac nuptae mulieres sive accusent, seu se in judicio tueri velint, procuratoris opera uti non prohibentur (3). Quin si plures, quam decem personae de eodem crimine accusantur, licebit eis procuratorem sibi constituere (4). Et reis in custodia detentis non denegatur vicaria procuratoris

(1) *L. 1. ff. de Custod. reor.*
(2) *L. 13. §. 1. ff. de Public. judic.*
(3) *Const.* Generalia jura. *Ut Universit. accusat.*
(4) *Cap.* Eodem studio.

opera, cum litis dominium apud nos veluti exoleverit. Ceterum absentes si sui copiam non fecerint, nec excusationem per alium attulerint, tamquam praesentes per contumaciam damnantur (1).

Reus in jure constitutus Judici interroganti responsurus juramentum de veritate dicenda jurabit. Ejus examen coram Fisci patrono instituetur. Quod si reus gravioribus indiciis obnoxius se objectum crimen admisisse obfirmate neget, ea omnia ei aperientur, ex quibus perjurii arguatur, et simul monebitur, se ad veritatem pronunciandam divino, et humano jure obstringi. Absoluto examine, fit litis contestatio inter fiscum adfirmantem, et reum crimen inficiantem. Tum testes in inquisitione auditi iterum citantur, et jurati depositiones clam reo emittunt. Interdum tamen coram ipso reo testes testimonia proferunt, ubi scilicet ejus nomen, et cognomen ignorant, quod *confrontationis* nomine in foro designari solet. In secunda porro depositione testes possunt addere, vel supplere, quae in prima seu dolo, sive culpa examinatorum scripta non deprehenderint (2), aut obscura, et ambigua declarare (3). Ceterum ubi testes in secunda depositione mutaverint, quod in prima asseruerant, ipsorum testimoniis non creditur, et tamquam falsi, ac perjurii crimine se obstringunt.

Post repetitas testium depositiones reo certae praestituuntur induciae, intra quas se defendat. Ea de causa publicantur simul Acta judicialia, quae

---

(1) Gratian. *post. can. 13. C. III. c. 9.*
(2) *Cap.* Albericus 43. *de Testib. ex.*
(3) *Cap.* Cum clamor 53. *eod.*

reo traduntur, ut objectum crimen diluere queat. Tum articulos suae defensionis, testesque reus producit, qui ab ipso judice simul cum Fisci patrono, et privato accusatore citantur. Testibus examinatis, Acta omnia publicantur, et utrique parti potestas fit ea inspiciendi. Non prohibetur tamen reus novas defensiones afferre, novosque producere articulos: quod Fisco, et accusatori privato non licet, nisi de novis criminibus accusare velint.

Porro si reum sua crimina inficiantem graviora urgeant indicia, tormenta adversus eum adhiberi solent. Quaestiones autem licet veteri jure civili probatae, antiquis Ecclesiae Patribus prorsus ignotae fuerunt. Earum origo debetur Alexandro III. (*a*): ex cujus male intellecta sententia interpretes tormenta in forum Ecclesiasticum, invitis canonibus, invexerunt. Illud autem adverti debet, usu in foro recepto, reos post superata tormenta ad poenam ordinaria mitiorem damnari consuevisse, ubi semiplenam probationem indicia excesserint, et quaestiones decretae fuerint, fisco petente *citra praejudicium probatorum* (1).

(a) *Alexander III. Clericum depositum pecuniam inficiantem* quaestionibus *subjiciendum edixit. Cap. 1. de Depos. e* ꝫ. *Inde deduxerunt Interpretes, ad veritatem eliciendam in judiciis etiam Ecclesiasticis quaestiones locum habere. Interpretum sententia firmari videbatur auctoritate Eusebii Papae, qui in Epistola a Mercatore procusa a testibus suspectis contra Episcopos productis veritatem* diversis cruciatibus *extundi oportere, jussit. Can. 4. C. V. q. 5.*

(1) Rosa *Prax. Crimin. Lib. I. cap. 8.*

TITULUS XXI.

De Sententia, et Re judicata.

Sententia est Judicis pronunciatio condemnationem, vel absolutionem continens, quae rei controversae finem imponit. Alia est *definitiva* sentetia; alia *interlocutoria.* Interlocutoria non de universo negotio fertur, sed de aliquo emergenti inter litis cursum, veluti in danda, vel neganda exceptione. Definitiva totam controversiam dirimit condemnatione, vel absolutione. Rursus interlocutoria vel simplex est, vel vim definitivae habet: illa praescribuntur, quae ad ordinem judicii spectant: hac vero deciditur articulus incidens, unde litis pendet resolutio. Hujusmodi ea est, qua Judex peremtoriam exceptionem admittit, vel rejicit (1).

Sententiam libello consentaneam ex allegatis, et probatis emanantem judex nullo partium studio [illegible]eptus ferre debet secundum leges, moresque re[illegible]ptos (2). Illud autem ob oculos habebit, aequitatem stricto juri praeferri oportere (3). Quin nec summorum magistratuum sententias non rite judicatas sequetur; cum non exemplis, seu legibus sit judicandum (4). Ne qua porro fraus sen-

---

(1) *L. 9. C. de Sent. et Interlocut.*
(2) *pr. Inst. de Offic. Judic.*
(3) *L.* Placuit 8. *C. de Judic.*
(4) *L.* Nemo 13. *C. de Sentent., et Interlocut.*

tentia fiat, eam *de scripti recitatione* proferri voluere Principes, ut nec nomen sententiae habere videatur, quae scripta non fuerit; quam propterea per appellationis sollemnitatem rescindi non oporteat (1). Ceterum quo sententia definitiva litem omnino perimat, non modo de principali controversia pronunciari debet, sed et de accessionibus; cujusmodi sunt litis sumtus. Id inde factum, ne lis ex lite oriatur (2).

Jam vero sententia in rem judicatam transit, ubi intra legitima tempora adversus eam non fuerit provocatum. Res autem judicata controversiae ita finem imponit, ut inter litigantes jus faciat (3), pro veritate habeatur (4), et ob nova reperta instrumenta rescindi non possit (5). Haec autem utcumque vera sint, pleraeque sunt species, in quibus sententia in rem judicatam non transit. Ita sententia dicta a judice non competente (6), vel contra solitum judiciorum ordinem pronunciata (7), quaeque contra jus in thesi (8), aut ex falsis instrumentis (9), vel a judice corrupto fuerit prolata (10), in rem judicatam non transit.

—

(1) *L.* Statutis 3. *C. de Sentent. ex brevic. recit.*
(2) *L. 3. C. de Fruct. et litium expens.*
(3) *L. 2. C. Quib. res judic. non nocet.*
(4) *L. 207. ff. de R. J.*
(5) *Cap.* Cum inter 13. *e ʒ: de Sent. et Re judic.*
(6) *L. ult. C. Si a non compet. judic.*
(7) *L. 4. C. de Sent. et Interlocut.*
(8) *Cap. 13. e ʒ. de Sent. et Re judic.*
(9) *L. 5. C. Si ex fals. instrum.*
(10) *L. 7. C. Quand. provoc. non est necess.*

★

TITULUS XXII.

De executione rei judicatae.

Ubi sententia in rem judicatam transiit, executioni demandatur. Si in rem fuerit actum, et judex petitori litem addixerit, possessor rem restituere cogitur. Ni mandato pareat, manu militari possessio ab eo in victorem transferetur. Ubi in personam actum fuerit, quadrimestres induciae reo dantur judicati faciendi causa (1), nisi secus Judici videbitur (2), quod si pignora capi oporteat, primum res mobiles, deinde immobiles, postremo nomina debitorum capientur (3). Ubi porro debitori nulla sunt pignora, in carcerem detrudi placuit, unde non liberabitur, nisi aut solutione facta, aut bonorum cessione (4).

Qui sententiam tulit, idem et executioni demandabit, si jurisdictionem habeat. Quod si Episcopus fuerit uti suspectus recusatus, quidquid ab executore per ipsum deputato, aut a judicibus mutuo partium consensu electis fuerit definitum, ab ipso, servata lege, complebitur (5): quod et de judice, cui a Magistratu mandata est jurisdi-

---

(1) *Cap.* Quaerenti 26. *de Offic. Judic. deleg.* &c.
(2) *Cap.* Quod ad consultationem 16. *de Sentent. et re judic.*
(3) *L.* A Divo Pio 17. §. 2. *ff. de judic.*
(4) *L.* Qui bonis 1. *C. Qui bon. ced. poss.*
(5) *Cap.* Si quis contra 44. *de Foro compet.*

ctio, respondit ICtus (1). Ceterum cum sententia inter alios lata aliis inauditis nocere non debeat, poterunt ii executionem impedire, ac suspendere per appellationem, donec de suo docuerint (2). Rei autem judicatae exequendae gratia judex apparitoribus utitur, qui propterea *exequutores litium* appellantur. Quod si judex Ecclesiasticus vi destituitur, civilis potestatis auxilium implorare solet, quo sententia executioni demandetur.

TITULUS XXIII.

De Appellationibus.

Appellationum usus ea de causa fuit receptus, ut iniquitas, vel imperitia judicantium corrigeretur: quamvis nonnumquam bene latae sententiae in pejus reformentur; neque enim utique melius pronunciat, qui novissimus sententiam dicit, ut ait ICtus (3). Est autem appellatio ab inferiore judice ad superiorem provocatio, ut hic iniquam corrigat sententiam. Ea gradatim fieri debet. Quae, omisso medio, ad superiorem statim defertur, facta per saltum dicitur, atque emendatur. Proinde si quis a judice, quem a Praeside provinciae accepit, recta Principem appellarit, eum ad Praesidem re-

---

(1) *L. 5. ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisdict.*
(2) *Cap.* Cum super 7. *de Sent. et re judic. e x.*
(3) *L. 1. ff. h. t.*

mitti oportere, rescripserunt Imperatores (1). Quidquid autem veteris Pontificii juris fuerit (2), Patribus Tridentinis placuit, appellationem afferri oportere adversus sententiam definitivam, aut definitivae vim habentem, quaeve per appellationem a definitiva reparari non possit (3).

Jam vero ab Episcopi sententia ad synodum provincialem appellabatur olim. In provinciali autem concilio lis definita ad majorem synodum non deferebatur. Sane Antiocheni Patres edixerunt, ut, si in Episcopi damnatione provincialis synodus discordibus suffragiis distrahatur, vicinioris provinciae Episcopis advocatis, rem omnem definiat. Quod si vero plurimorum suffragiis fuerit damnatus Episcopus, *eum non amplius ab aliis judicari, sed provinciae Episcoporum firmam manere sententiam*, voluere Antiocheni Patres (4). Post Concilium Constantinopolitanum I. recepta regula est, ut a synodo provinciali ad dioecesanam provocaretur (5), quod a patribus Chalcedonensibus fuit confirmatum (6).

Jam vero de appellationibus a sententia synodi provincialis ad Romanum Pontificem magnis animorum motibus fuit a summis plerisque viris disputatum, nonnullis pro Romanae Sedis auctoritate, nonnullis contram ipsam decertantibus. Sane,

—

(1) *L.* Imperatores §. 2. *ff. eod.*
(2) *Cap.* Suggestum 15. *de Appellat.* e §.
(3) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 20.*
(4) *Conc. Antioch. 15.*
(5) *Conc. Constant. I. can. 2.*
(6) *Conc. Chalced. can. 9. et 17.*

ne aliorum scrinia compilemus, illud certum videtur, hujusmodi appellationes post ipsos canones Sardicenses in Oriente non fuisse olim receptas, quod et ab Ecclesia Africana fectitatum. Ubi vero Sardicenses canones per Occidentem fuerunt recepti, appellationes a quocumque provincialis Concilii judicio ad Sedem Apostolicam passim delatae.

Intra *fatales dies* et interponi, et expediri appellationem, oportet. Interponendae appellationi decem a Justiniano dies fuerunt praestituti a sententiae recitatione numerandi. Post institutam appellationem judex, ad quem appellatum, litteris datis, judicem, unde appellatum, non procedere jubet in causa, et ad se acta transmittere. Introducta appellatio anno, aut ex justa causa biennio et instrui, et finiri debet. Sed hodie ob litium frequentiam praescripto tempore appellationes expediri nec possunt, nec solent.

Appellatione interposita, inferioris judicis jurisdictio suspenditur, atque omnia in eo statu manent, quo pronunciationis tempore fuerunt (1). Quod si ab inferiore judice aliquid innovatum (*attentatum* ea innovatio apud Pragmaticos audit) id a superiore judice primum omnium corrigetur. Tum ex integro de controversia cognosci coeptabitur, novo termino litigatoribus praestituto *ad non posita ponendum, et ad non probata probandum.* Ceterum praeter eas species, in quibus ex jure civili locus appellationi non datur, secundum Ecclesiasticas regulas a sententia excommu-

(1) L. appellationes 3. *C. h. t.*

nicationis, suspensionis, et interdicti appellatio effectum latae censurae non suspendit (1): quod et in causis correctionis morum servandum, edixere Pontifices (2).

Ab inferiore autem judice ad proxime superiorem appellatur, qui scilicet majorem habeat dignitatem, et jurisdictione in eum, qui judicavit, fungatur. Appellatio porro per gradus interponi debet; per saltum enim interposita ad eum remittitur, ad quem proxime fuerat deferenda. Ita ab Archidiacono, qui ordinariam habet jurisdictionem, Episcopus, ab Episcopo Metropolitanus, a Metropolitano Patriarcha, a Patriarcha Romanus Pontifex appellatur. Tantum ad Romanum Pontificem, omissis inferioribus judicibus, appellare licet (3).

Coronidis loco heic memorare non erit abs re appellationem, quae *tamquam ab abusu*, *recursus ad Principem*, et *Regia protectio* dictitari solet. Ea nihil aliud est, nisi querela ad Principem delata contra Judicem Ecclesiasticum, qui potestate sua abutitur. Per hujusmodi appellationem *ab abusu* Sacerdotii jura non attentantur, sed tantum de facto quaeritur, an scilicet Ecclesiasticae regulae, et judiciorum ordo fuerint violata. Sane, Athanasio postulante, Constantinus M. de vi in synodo Tyria ei illata cognoscere non dubitavit: *Nihil aliud postulavit Athanasius, quam ut vos convocari juberem, quo, vobis prae-*

—

(1) *Cap.* Pastoralis 53. §. 1. *eod.*
(2) *Cap.* Ad nostram 3. *eod.*
(3) *Cap.* Si duobus 7. *eod.*

sentibus, *quae per vim passus est*, *conqueri posset.* Nemo autem in dubium revocare poterit, quin ad Reges etiam pertineat Ecclesiasticos canones tueri adversus eos, qui sua potestate abutuntur in Ecclesiae, et regni detrimentum. Ceterum in novissima Conventione saepius memorata recursus canonicus fuit ab utraque summa potestate adprobatus (1).

TITULUS XXIV.

De Criminibus Ecclesiasticis.

A primis Ecclesiae incunabulis usque ad seculum XII. canonicis poenitentiis crimina omnia apud Christianos fuerunt expiata. Ubi Ecclesiasticum forum in *internum*, et *externum* fuit divisum, et poenae per forensem strepitum in meram vindictam seu pecuniariam, seu corporalem infligi coeperunt, distinctio criminum inducta est, per quam alia Ecclesiasticae tantum jurisdictioni, alia civilibus magistratibus cesserunt, et alia veluti in confinio utriusque fori fuerunt relicta. Proinde quaedam crimina *Ecclesiastica* sunt, quaedam *civilia*, et quaedam *communia* seu *mixta.* Ecclesiasticis criminibus religio, et fides directe laeditur. Civilia nihil spirituale continent, nisi criminis in foro interno absolutionem, et poenitentiam. Communia, seu mixta et civitatem, et religionem lae-

—

(1) *Art. XX.*

dunt. Ecclesiastica crimina sunt apostasia, haeresis, schisma, simonia, sacramentorum prostitutio, sacramentalis sigilli effractio, et alia id genus. Inter civilia censetur perduellio, homicidium, peculatus, plagium, et alia hujusmodi. Communia dicuntur adulterium, concubinatus, sodomia, sacrilegium, sortilegium, et crimen usurarium. Nos, omissis civilibus, et mixtis criminibus, de Ecclesiasticis tantum pauca delibabimus, quorum sane natura ex Ecclesiasticis regulis definitur.

De Apostasia.

Defectio a fide Christiana, quam quis in baptismo professus est, *Apostasia* dicitur. Apostatae duplicis generis fuerunt olim, alii sponte sua, alii vi metuque a Christiana religione deficiebant. Qui sponte sua Christum deserebant, plerumque aut ad Judaeos, aut ad ethnicos transibant. Qui vero per vim, ac metum a Christiana religione desciscebant, *Lapsi* proprio nomine dicebantur, quorum alii *thurificati*, ac *sacrificati* (*a*) erant, alii *libellatici* (*b*).

(a) Thurificati *erant*, *qui* Diis thure, et vino supplicaverant, *ut ait Plinius lib. X. epist. 97.* Sacrificati *autem fuerunt appellati*, *qui* sacrilegis contactibus manus suas, atque ora maculaverant, *uti loquitur Cyprianus ep. 15. al. 20. ad Cler. Roman.*, *qui carnes diis immolatas comederant.*

(b) *De Libellaticis vid. Baronium. an. 253. Albaspinaeum Observ.*, *I. 21.*, *et Bynghamum Orig. XVI. 4. in diversas sententias abeuntes.*

Apostatas, si idololatriae quoque crimine arces serentur, nec in *fine communionem*, i. e. reconciliationem *accipere*, placuit Illiberitanis Patribus (1). Sed ab ea severitate sensim descitum; et aetate Cypriani Apostatis ad Ecclesiam redeuntibus absolutio post longiores, vel breviores peractae poenitentiae inducias non denegabatur, prout scilicet criminis ratio, et Ecclesiarum mores postulabant.

Latiori notione Apostatae dicuntur, qui post professionem monasticam emissam ad vitam secularem transeunt. Veteribus placuit, hujusmodi desertores Monachos excommunicatione percellere (2). Ex regula Benedictina Monachi Apostatae si vitae emendationem promittant, in ultimo gradu recipiuntur (3). Jure novo apostatae apud proprium monasterium, et in aliis religiosis domibus ejusdem Ordinis crimen purgare debent (4).

De Haeresi.

Haeresis est *error intellectus in fide, quem voluntatis pertinacia sequitur*. Itaque ut aliquis haereticus dicatur, non sufficit, ut aliquem errorem imprudenter pronunciet, sed necesse est, ut falsae alicui doctrinae Catholicis dogmatis adversae

---

(1) *Conc. Illiberit. can. 1.*
(2) *Conc. Chalced. can. 7.*
(3) *Reg. Benedict. cap. 19.*
(4) *Cap. ult. de Regular. e* ꝫ.

sciens, ac prudens adhaereat. Hinc illud Augustini: *errare possum, sed haereticus non ero;* cui consonat commune Theologorum, et Canonistarum carmen: *Non error, sed erroris pertinacia haereticum facit.*

Non modo qui a Catholica religione aberrantes aliquem errorem circa fidem adoptant, maximum crimen admittunt; sed et de haeresi suspecti Ecclesiasticis poenis subjiciuntur. Hujusmodi suspicio vel *levis*, vel *vehemens*, vel *violenta* est, prout argumenta, et indicia graviora sunt, aut leviora. Ita si quis semel haereticorum conventiculis interfuerit, levis suspicionis reus habebitur. Et si quis errores pronunciaverit in rebus ad fidem pertinentibus, *vehementi* suspicione premetur: etenim adversus eum juris praesumtio locum habet. Postremo ubi quis de haeresi suspectus haeresim abjurare nolit, et ea de causa excommunicatus in excommunicatione per annum permanserit, violenta gravabitur suspicione (1).

Haereticos variis poenis coërcuit Ecclesia. Praecipua adversus eos excommunicationis *latae sententiae* poena fuit constituta (2); quam etiam eos sequi placuit, qui haereticos in loco sacro sepeliverint, quique eorum fautores, hospites, defensores fuerint, aut cum illis in sacris communicaverint (3). Praeterea haeretici si in clerum fuerint cooptati,

---

(1) *Cap.* Cum contumacia 7. *de Haeret. in VI. Conc. Trid. sess. XXV. de Ref. cap. 3.*
(2) *Cap.* Sicut 8. *de Haeret. e* ꝫ.
(3) *Can. Apostol. 45. et 65. Conc. Laodic. can. 9.*

perpetuo ab omni officio, et beneficio deponuntur (1). Quin et irregularitas cum infamia haereticos ipso jure sequitur (2); qua quidem non solvuntur, etiamsi ad Ecclesiae communionem redierint (3). Hujusmodi autem poenam et haereticorum fautores, et eorum liberi usque ad secundum gradum paternae lineae, ad primum gradum in linea materna, subire voluere Pontifices, ubi tamen parentes in haeresi maneant, aut in haeresi decesserint (4).

Non modo Ecclesiasticae regulae haereticos constitutis poenis coërcuerunt, sed ipsi Principes adversus eos severiores leges tulerunt. Ut reliquas divales ea de re leges omittamus, instar omnium sint Friderici II. constitutiones. Anno 1224 lata lege Princeps providentissimus voluit, ut haeretici pervicaces in Imperii terris degentes, publicatis bonis, morte, et igne crimen expiarent (5). Tum constitutione per regnum Siciliae valitura edixit, ut haeretici pervicaces post bonorum publicationem vivi igne absumerentur (6). Adversus haereticorum fautores ipse Princeps perpetuum exilium, bonorum publicationem, et infamiam indixit, qua eorum quoque filios adspergi voluit (7).

Jam vero ubi haeretici ad Ecclesiam Catholicam

—

(1) *Cap.* Ad abolendam 9. *de Haeret.* e ꝫ.
(2) *Cap.* Quicunque 2. §. 2. *eod. in VI.*
(3) *Can. 2. C. I. q. 7.*
(4) *Cap.* Statutum 15. *de Haeret. in VI.*
(5) *Goldast. tom. I. Constit. Imperial.*
(6) *Const.* Inconsutilem *de Haeret. ac Pataren.*
(7) *Const.* Patarenorum *de Pataren. receptator.*

reverti velint, secundum veteres regulas perversam doctrinam scripto ejurare debent, et Catholicam fidem profiteri (1). Qui in haeresi fuerant nati, et baptizati, per manuum impositionem recipiebantur. Contra qui baptizati in Christi Ecclesia in haeresim prolapsi erant, si, unde aberraverant, revertebantur, per poenitentiam recipi solebant. Hujusmodi poenitentia decem annorum spatio a Patribus Illiberitanis fuit conclusa (2). Patres Agathenses, et Epaonenses ad tres annos eam reduxerunt (3).

De Schismate

Schimatis nomine designatur *divisio, qua quis seipsum ab Ecclesiae communione scindit.* Inter haeresim, et schisma *hoc interesse arbitramur*, ait Hieronymus (4), *quod haeresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet.* Itaque haeresis novis doctrinis violat Ecclesiae unitatem; schisma ex disciplinae causis vincula unitatis abrumpit, et Episcopalem auctoritatem convellit. Illud autem certum est, schisma ut plurimum in haeresim delabi. Plerumque enim schismatici sibi dogma conficiunt, quo ab Ecclesia jure discessisse commonstrent; ut illud omittam,

---

(1) *Conc. Nicaen. can. 8.*
(2) *Conc. Illiberit. can. 22.*
(3) *Conc. Agath. can. 60. Conc. Epaon. can. 29.*
(4) *Can. 26. C. XXIV. q. 3.*

schismaticos Romani primatus veritatem attentare, quae inter Catholicae fidei veritates censetur.

Schisma autem vel *internum* est, vel *externum*. Interni schismatis reus est, qui ab Ecclesia sua discedit, eamque, excitatis turbis, in diversos coetus dissolvere adnititur (1). Item internum schisma Episcopi moliuntur, qui a reliquis dissidium faciunt, salva tamen Catholicae fidei, et Romano Pontifici reverentia. Externum schisma dicitur, ubi Ecclesiae particulares communionem inter se abrumpunt, et in particulares coetus abeunt. Hujusmodi schisma universale erit, si aliqua Ecclesia, aut plures Catholici ab unitate Ecclesiae Catholicae discedant, quod Donatistas fecisse constant. Ceterum cum schisma plerumque haeresim adjunctam habeat, schismaticos iisdem ferme poenis, ac haereticos subjecerunt Ecclesiasticae regulae.

De Simonia.

Simonia definitur rei spiritualis, vel spiritualibus adnexae mercimonium, ab illius auctore Simone Mago ita nuncupata. Ex recepta Interpretum sententia triplex est Simonia, *mentalis*, *conventionalis*, *realis*. Mentalis voluntate tantum concipitur, nec extra animum egreditur. Ita si quis officii simulatione futuro collatori aliquid offerat spe beneficii Ecclesiastici ab eo impetrandi, mentali se se illigabit Simonia. Isthaec Simonia, cum in-

(1) *Can. 4. List. XV.*

terius lateat, non mortalem judicem, sed solum Deum habet ultorem. Conventionalis Simonia conventionibus, aut pactis sive tacitis, sive expressis animum offerendi pretii patefacit, etsi effectu fuerit voluntas destituta. Ubi porro ad pacta effectus accessit, realis Simonia adpellatur: cujus sane criminis non modo ipsi contrahentes arcessuntur; sed etiam interpretes, sponsores, depositarii. Hisce Simoniae speciebus addi potest, quae per *confidentiam*, seu *contracta fiducia*, fieri dicitur. Hujusmodi censetur simonia, cum beneficium recipimus, ut ejus fructus alteri reddamus; aut certo post tempore titulum restituamus; aut cum usque ad certam infantis aetatem in amici alicujus fidem beneficium deponitur, ut illud adulto depositarius restituat. Simoniaca quoque censetur pensionis reservatio sine Superioris auctoritate, et renunciatio beneficii, reservato ad idem regressu, ceterique tractatus hujusmodi, qui fiduciarii dicuntur (1).

Pecuniae autem nomine in causa Simoniae non solum pecunia numerata intelligitur; sed quidquid pretio aestimatur. Hinc tria *pecuniae* nomine in praesenti argumento designari solent, nimirum *munus a manu*, *munus a lingua*, et *munus ab obsequio* (2). Munere a manu continetur pecunia, seu id omne, quod in terra possidetur, ut ait Augustinus (3). Munus a lingua *favor est*, ait Gregorius M. (4). Favor enim, et gratia apud

(1) *Conc. Trid. de Ref. Sess. XXIV. cap. 14.*
(2) *Can. 6. C. VIII. Can. 114. C. I. q. 1.*
(3) *Can. 9. C. I. q. 1.*
(4) *Can. 114. C. I. q. 1.*

homines, et praecipue potentes pretio maximo aestimatur. Saepe enim plus valet favor potentiorum, quam honesti, et plurimi exacti labores. Postremo per munus ab obsequio designatur *servitus indebite impensa* (1). Itaque Simoniaca labe inficiuntur, qui collatoribus, aut patronis servitia impendunt ea lege seu tacita, sive expressa, ut sibi beneficium conferatur. Illud autem explorati juris est, etiamsi beneficiarius ignarus sit admissae per alium Simoniae, beneficii collationem simoniacam esse, quod Caelestinus III. rescripsit; nisi quis pecuniam collatori dederit, ut beneficiario insidias pararet: malitiis enim hominum non est indulgendum (2).

Adversus clericos tum simoniace ordinatos, tum ordinantes depositio, adversus laicos excommunicatio a Patribus Chalcedonensibus fuit indicta, in quorum sententiam posteriora concilia discesserunt (3). Jure novo ordinantes quidem suspenduntur a quorumvis ordinum collatione per triennium; ordinati vero a suscepti ordinis exercitio, quousque veniam a Romano Pontifice impetraverint (4). At constitutione Pii V. simoniace ordinati per decennium ab ordinum susceptorum exercitio *ipso facto* suspenduntur, et carceribus per annum mancipantur (5). Collatores vero ex Bulla

---

(1) *d. Can. 114. C. I. q. 1.*
(2) *Cap.* Nobis 27. *eȝ. de Simon.*
(3) *Conc. Chalced. can. 2. Aurelian. II. can. 4. Trullan. can. 22.*
(4) *Cap.* si quis 45. *eȝ. de Simon.*
(5) Pius V. *Const.* Cum primum.

Sixti V. a quorumcumque ordinum conlatione, et ab usu Pontificalium munerum perpetuo suspensi ab ingressu Ecclesiae interdicuntur (1). Item jure novo Simoniacis, etiam simoniae mediatoribus, indicta fuit excommunicatio *latae sententiae* Romano Pontifici reservata (2).

TITULUS XXV.

De Poenis, et Censuris Ecclesiasticis.

Ex potestate, quam a Christo accepit Ecclesia, poenas Ecclesiasticas jure suo irrogat, iisque in sontes, et contumaces animadvertit. Ecclesiasticae autem poenae a civilibus longe distant: illae enim spirituales sunt, et in emendationem delinquentis, atque Ecclesiae salutem infliguntur; hae vero corporales sunt, et vel bona, vel corpus delinquentis atterunt.

Jam vero poenae Ecclesiasticae a veteribus *censurae* fuerunt appellatae; neque quidquam discriminis inter poenas, et censuras fuisse videtur. Sed ubi Innocentius III. nomine *censurae* non solum *interdicti*, sed et *suspensionis*, *excommunicationis* sententiam intelligi pronunciavit (3), exinde, Scholasticis adlaborantibus, a censuris poenae fuerunt distinctae. *Poenae* itaque nomine privatio

(1) Sixtus V. *Const.* Sanctum.
(2) *Extrav.* Cum detestabile 2. *de Simon. in Commun.*
(3) *Cap.* Quaerenti 20. *de Verb. Signif.* e 8.

spiritualium bonorum designatur. *Censura* autem appellatur privatio spiritualium quorumdam bonorum, quae ad rei emendationem irrogatur. Quapropter poena Ecclesiastica, et censura in eo conveniunt, quod utraque est privatio spiritualium bonorum; in eo autem inter se differunt, quod illa in criminum vindictam infligitur, et perpetua est; haec vero in emendationem irrogatur, et ab legitima potestate auferri potest.

Porro ferendarum censurarum potestas gladio spirituali adhaeret. Hinc origine sua uni Ecclesiae censuras infligere a Christo datum, clavibus regni caelorum ipsi traditis. Quare illis tantum censuras irrogare licet, quibus vel mandata jurisdictio competit. Ita Episcopus confirmatus, licet non sit consecratus, censuras jure suo infligit. Et clericus minoribus ordinibus initiatus, si Episcopo vicarius constituatur, censuras ferre non prohibetur. Qui vero ordine, et spirituali potestate destituuntur, veluti laici, ac feminae, censuras nullo pacto irrogare possunt (1).

Censuris autem illigantur tantum, qui fidem Christi per baptismum susceperunt, et jurisdictioni ejus, qui censuras irrogat, subsunt. Hinc pagani, Judaei, ipsique catechumeni iis non obstringuntur. Ne porro a Regularibus exemtis censurae contemnerentur, eos Tridentini Patres censuris per Ordinarios latis teneri voluerunt (2). Illud quoque explorati juris videtur, licet mortui directe

(1) *Cap.* Nova 10. *de Poenit. et Remiss.* e ℥.
(2) *Conc. Trid. Sess. XXV. de Regular. cap.* 12.

censuris percelli nequeant, non prohiberi Ecclesiam in mortuos anathema infligere, eorum memoria veluti damnata. Vetus isthaec fuit Ecclesiae Africanae disciplina. Quare in canonibus Africanis anathema post mortem Episcopo dicitur, qui ethnicos, aut haereticos sibi heredes scripserit (1). Hujusmodi execrationes pedetentim in reliquas Ecclesias migrarunt (2).

Porro qui censuras per sententiam specialem irrogavit, a censuris absolvit: *Dominus* enim *par jus et ligandi esse voluit, et solvendi* (3). Ejus itidem successor (4), aut ipsius delegatus (5) censuras solvere non prohibetur. Metropolita autem a censuris per suffraganeum latis absolvere potest, modo servaverit ea, quae Innocentius III. praescripsit (6). Quae vero censurae latae sunt a canone, vel ab homine per sententiam generalem, ab iis absolvi quis potest vel ab Episcopo, vel a proprio sacerdote ad confessiones excipiendas destinato, illis tantum exceptis censuris, quas sibi reservavit, qui eas inflixit.

---

(1) *Cod. African. can. 81.*
(2) Leo M. *epist. 83. ad Theodor. Forojuliens. Gelas. Papa epist. ad Episc. Dardan.*
(3) *Can. 51. de Poenit. Dist. 1.*
(4) *Can. 3. C. XI. q. 3.*
(5) *Cap. ult. de Offic. Ordinar. eod.*
(6) *Cap.* Ad reprimendam 8. *eod.*

De Excommunicatione.

Ejectio ab Ecclesiae communione, quae veteribus *segregatio*, *abstentio*, *abjectio* fuit nuncupata, *excommunicatio* recepto vocabulo dicitur. Ecclesiastica communio in religionis exercitiis consistit, cujusmodi sunt sacri ritus, sacramenta, et officia omnia Ecclesiastica, quibus interesse Christianis omnibus datur. Quin Ecclesiae particulares inter se mutua communione consociantur. Ea communio explicabatur olim per admissionem Catholicorum alterius Ecclesiae ad Ecclesiastica officia, modo communicatorias deferrent, et litteras formatas, quas Episcopi de negotiis Ecclesiasticis sibi mutuo dabant.

Ex variis communionis Ecclesiasticae gradibus variae excommunicationis species fuerunt. Ipsae tamen ad duas revocari possunt, *majorem* scilicet, et *minorem*. *Major*, quae et *mortalis*, et *anathema* fuit appellata, Christianos graviorum criminum reos, atque in sceleribus pertinaces illigabat. Minor, *medicinalis* dicta, adversus eos ferebatur, qui vel crimen confessi, vel de crimine convicti poenitentiam, et pacem postulabant. Ii inter publicos poenitentes ablegati Eucharistica communione, et sacrorum commercio ad tempus excludebantur. Ceterum in nova disciplina minori excommunicatione innodantur, qui cum excommunicato vitando extra crimen contra Ecclesiae praeceptum communicant (1). Utcumque

(1) *Cap. ult. de Cleric. excomm. minist. e* ✱.

autem haec fuerint olim, in Pontificali Romano tres excommunicationum species distinguuntur, scilicet *minor*, *major*, et *anathema*: quae distinctio veteribus prorsus fuit ignota (1). Inter majorem autem excommunicationem, et anathema illud intercedit discrimen, quod excommunicatio sine sollemnitate, anathema sollemniter feratur; ut anathema veluti augeat praecedentem excommunicationem non vi ipsa segregationis, sed majoribus exsecrationibus.

Jam vero excommunicatio alia est *latae*, alia *ferendae sententiae*. Ferendae sententiae excommunicatio a Judice, causa cognita, infligitur; in eamque reus incidit, postquam Judex sententiam pronunciavit. Latae sententiae excommunicatione illigatur quis *ipso facto*, seu post canonis violationem. Ex diversis formulis diversa excommunicationis species dignoscitur. Ubi adhibentur voces *excommunicetur*, *segregetur*, vel *praecipimus sub poena excommunicationis*, ferendae sententiae excommunicatio intelligitur: *sit ipso facto excommunicatus*, vel, *ipso jure excommunicationem incurrat*, latae sententiae excommunicatio designatur.

Per majorem excommunicationem criminosus ab Ecclesiae communione prorsus ejicitur; ut ejus membrum non amplius censeatur. Quare excommunicatus omni jure, quod per baptismum quaesiverat, excidit; Sacramentis, sacris officiis, Ecclesiastica potestate spoliatur; suffragiis communi-

---

(1) *Vid. Espen. de Censur. cap. I. §. 5.*

bus, Ecclesiastica sepultura, totoque fraternitatis commercio excluditur; ad quodcumque Ecclesiasticum beneficium adspirare prohibetur, et fructibus beneficiorum, quae ante excommunicationem fuit consecutus, a die excommunicationis susceptae destituitur. Postremo excommunicatus omni civili consortio prohibetur, cui nec *ave* dicendum, secundum Apostolicam doctrinam (1).

Ex recentiori autem disciplina vetus circa excommunicatos rigor aliqua ex parte remissus. Ii enim tantum vitari debent, in quos excommunicationis sententia a Judice *specialiter, et expresse fuit publicata, vel denunciata,* iis exceptis, quos pro sacrilega manuum injectione in Clericum in sententiam latam a canone *adeo notorie constiterit incidisse, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari*. Cautum id quidem in quadam decretali, quam veluti a Martino V. in Concilio Constantiensi editam primus S. Antoninus exhibuit, quamque universa Ecclesia recepit (2). Inde discrimen evaluit inter excommunicatum *vitandum*, et *toleratum;* atque illius cum divinis officiis, tum in communi vitae consuetudine, non vero istius fuit vetita communicatio, ea excepta communicatione, quae cum uxore, liberis, servis, ancillis, creditoribus, aliisque hujusmodi in civilibus negotiis ex necessitate permittitur. Ceterum, ut quis sit excommunicatus vitandus, duo illa omnino requi-

---

(1) *Joan. ep. II. 10.*
(2) S. Antonin. *Summ. P. III. tit. 25. c. 3.*

runtur, et ut sententia sit a Judice lata, et ut persona sit speciatim denunciata (1).

Cum porro excommunicatio *gravissima* omnium sit poena, ut ait Augustinus (2), et aeternae mortis damnatio, nonnisi pro *mortali debet imponi crimine* (3). Crimen autem manifestum, aut per Judicem legitime probatum esse oportet, quod veteres canones passim inculcant (4). Praeterea excommunicatio ferendae sententiae, nisi *competenti, et canonica monitione* (5) praemissa, ferri non debet, quod Synodus Tridentina et agnovit, et firmavit, ubi duas saltem monitiones praemittendas decrevit (6). Ceterum sententia Pastoris, seu justa, sive injusta fuerit, timenda est, uti ait Gregorius M. (7).

In excommunicatione ferenda posteriori aevo quidam ritus, ac certae formulae fuerunt receptae diris, atque exsecrationibus plenae. Ritus iste describitur in Pontificali Romano (8). Qui autem excommunicat, excommunicationem, ejusque causam nominatim proferre jubetur (9). Sententia vix pronunciata, Parochi, et vicini Episcopi certiores

—

(1) *Videsis Suares. de Censur. disp. IX. sect. 2. n. 8.*
(2) Augustin. *Lib. de Corrept. et Grat. cap. 15.*
(3) *Conc. Meldens. can. 36. ap. Gratian. can. 41. C. XI. q. 3.*
(4) *Can. 11. C. II. q. 1. Cap. 48. de Sent. Excom. e ꝯ.*
(5) *Cap. 48. de Sent. excom. e ꝯ. Cap. 5. eod. in VI.*
(6) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 2.*
(7) *Can. 1. C. XI. q. 3.*
(8) *Pontif. Rom. de Ordin. excommunic.*
(9) *Cap. 1. de Sent. Excomm. in VI.*

fieri per litteras encyclicas debent, ne per ingorantiam cum excommunicato communicent (1).

De Interdicto.

Interdictum est censura Ecclesiastica, qua Sacramentorum dispensatio, publica divinorum officiorum celebratio, et sepulturae Ecclesiasticae usus prohibetur. Aliud est *personale*, aliud *locale*, aliud *mixtum* interdictum. *Personale* personis usu quarumdam rerum sacrarum ob contumaciam, quocumque eant, interdicit, *ambulatorium* propterea appellatum. *Locale* locum tantum adficit, ubi res sacrae fieri prohibentur. *Mixtum* et personis, et loco, et rerum sacrarum usu interdicit. Rursus personale interdictum vel *generale* est, vel *particulare*, prout vel personae quaedam seu singulares, puta clerus, plebs, aut quidam ex ipsis: vel Regnum, provincia, dioecesis, civitas, Ecclesia eo obstringuntur. In praesenti autem argumento illud adverti debet, si interdicto populus innodetur, Clericos eo nomine generatim non censeri; quemadmodum et populus non obstringitur, ubi clericis rebus sacris interdicitur (2). Contra, si civitas, aut Ecclesia interdicto subjiciatur, suburbia, Capellas, et Coemeterium Ecclesiae adjacentia eo comprehendi, Pontificibus placuit (3).

---

(1) *Pontif. Rom. loc. cit.*
(2) *Cap.* Si sententia 16. *de sent. Excomm. in VI.*
(3) *Cap.* Si civitas 17. *eod. in VI.*

Interdicti, quod ex gravi causa, et sollemni ritu ferri debet, plerique numerantur effectus. Et primum quidem per interdictum cessant divina officia, i. e. Missae publicae, Horae canonicae, publicae Ecclesiae preces, et nuptiarum benedictiones. Non prohibentur tamen publicae in Ecclesia conciones (1), et Missa privata, silentibus quidem campanis, voce submissa, et clausis januis, exclusis tamen excommunicatis, et interdictis, quo corpus Domini conficiatur, quod in poenitentia decedentibus non negatur (2). Quin Bonifacius VIII. poenitentiam omnibus dari concessit, et divina officia omnia celebrari permisit secundum regulam a Gregorio IX. praescriptam, exceptis festis diebus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Assumtionis Beatae Mariae Virginis (quibus festum diem Corporis Christi, et ejus octavam Martinus V. addidit), in quibus etiam concessit divina officia celebrari, sed exclusis excommunicatis, atque admissis interdicto innodatis; modo, qui causam interdicto dederunt, ab altari ejiciantur (3). Praeterea excepto Baptismo, Confirmatione, Poenitentia, atque Eucharistia, et confectione Chrismatis in Coena Domini, Sacramentorum administratio prohibetur. A Poenitentia autem nemo excluditur. Tantum excommunicatis, speciatim interdictis, quive ope, vel consilio, aliove modo in delicto perpetrando operam collocarunt, nisi de ipso

---

(1) *Cap.* Responso 43. *eod.* e. t.
(2) *Cap.* Permittimus 57. *eod.* e. t.
(3) *Cap. ult. eod. in VI.*

delicto satisfecerint, vel de satisfaciendo caverint, poenitentiam denegari placuit (1). Postremo per interdictum a sepultura Ecclesiastica omnes, etiamsi parvuli fuerint, excluduntur. Qui autem interdicto nullam causam dederunt, in loco non interdicto sepeliri non prohibentur: quemadmodum et clerici nil tale promeriti in loco interdicto recte sepeliuntur, nulla sollemnitate adhibita (2).

Qui interdictum violant, gravi crimine innodantur. Quod si clerici id attentaverint, a canone alieni facti ad electionem cum aliis non admittuntur, absolvendi ab ea irregularitate uni Papae potestate reservata (3). Qui vero interdicto illigatos in loco sacro sepeliunt, in excommunicationem incidunt, cujus absolutio Episcopo reservatur (4). Neque excommunicationem devitant Regulares etiam exemti, qui interdictum generale, aut locale non servaverint (5).

De Suspensione.

Suspensio est censura Ecclesiastica, qua clericus ordinis exercitio, salva dignitate, ad emendationem prohibetur. Ea triplex est, *ab officio* scilicet, a *beneficio*, ab *officio* simul et *beneficio*. Ab officio suspenditur clericus, cui omnibus offi-

---

(1) *d. Cap. ult.*
(2) *Cap.* Quod in te 11. *de Poenit.* e ꝗ.
(3) *Cap. 18.* §. *1. de Sent. Excomm. in VI.*
(4) *Clement. 1. de Sepultur.*
(5) *Clement. 1. de Sent. Excommunic.*

ciis Ecclesiasticis interdicitur, quae vel ab ordine, vel a jurisdictione descendunt. Quae enim clericis, ac laicis communia sunt, suspensis clericis non prohibentur. Ita ipsis Sacramenta, ingressus in Ecclesiam, communes preces patent. Suspensione a beneficio clericus beneficii fructibus, at non officio excluditur. Per suspensionem denique ab officio simul et beneficio et beneficii fructibus, et sacris officiis clerico interdicitur.


Quaevis suspensio vel omnino, vel ex parte indicitur. Ubi ab omni functione clericali clericus prohibetur, absoluta suspensione plectitur; si vero aut Missae celebratione, aut habendis ordinationibus abstinere jubetur, ex parte suspensus intelligitur. Praeterea suspensio vel perpetua est, vel temporaria, vel ad certum locum restricta. Perpetua nullo tempore solvitur, salva manente dignitate. Temporaria certis temporum intervallis clauditur, veluti si Episcopus per annum ab ordinum collatione abstinere jubeatur. Ad certum locum suspensio restringi videtur, ubi clericus, qui aliis in locis sacris operari, aut jurisdictione uti non prohibetur, certis in locis ab iis abstinere debet. Illud autem certi juris est, non omnem suspensionem censuram esse. Quae enim nullo temporis spatio coërcetur, censurae nomine venit, quippe quae ad emendationem irrogatur. Quae vero in perpetuum, vel ad tempus infligitur, poena potius, quam censura videtur.

Oritur autem suspensio vel a Jure, puta contra clericum simoniacum, vel publice fornicarium; vel ab homine, ubi quis per Judicis sententiam hac censura percellitur. Ferenda est porro senten-

tia scripto, expressa causa propter quam pronunciatur; nisi velit Judex suspensionem a divinis officiis subire, et ab Ecclesiae aditu excludi (1). Ceterum suspensus ab uno minime suspensus ab aliorum connexu censetur. Quare suspensus ab ordine neque a jurisdictione, neque a beneficii fructibus abstinere debet: odia enim restringi, voluere Pontifices. Si quis vero, suspe[illegible]iônis neglecta sententia, ordines exercet[illegible] [illegible]e fiet alienus (2). Atque haec pro [illegible]num Ecclesiasticarum modulo satis sunto.

—

(1) *Cap. 1. de Sent. excommun. e* [illegible].
(2) *Cap. 1. de Sent. et Re judic. in VI.*



INDEX

TITULORUM.

PRIOR NUMERUS VOLUMEN, ALTER PAGINAM INDICAT.

A

B

C

D

E

I.

L

M

Q

R

S

T

V

FINIS.

